

prævaricantium, à paterna hereditate ne excluduntur.

62. 63.

Iudæi baptizati cum non baptizatis ne communicent. Iudæi infideles, si renuerint baptizari, ab uxoribus Christianis separentur, eorumque filii fidem et conditionem matris sequantur: patris vero sequentur, ex matre infideli et patre baptizato progeniti.

64. 65. 66.

Iudæi baptizati, ac postea prævaricantes, ad testimonium ferendum non admittuntur. Iudæi, vel qui ex Iudæis sunt, publica officia ne gerunt. Iudæi Christiana mancipia nequaquam habeant.

67. 68. 69. 70.

Episcopi ex familia Ecclesiæ liberos ne faciant: si vero quem manumittere voluerint, non retento Ecclesiæ patrocínio, duo mancipia eiusdem meriti et peculii offerant commutationis ergo. Sacerdotes tamen prædia Ecclesiæ relinquentes, vel adquirentes, iuxta rei collatæ modum possint libertos facere, retento Ecclesiæ patrocínio. Hi liberti ac posteri eorum coram Episcopo se ex familia Ecclesiæ liberos effectos fuisse, fateantur.

71. 72.

Liberti qui Ecclesiæ patrocínio reliquerint, ut manumissi non habentur. Ab aliis manumissi, et Ecclesiæ commendati sacerdotali defensione protegantur.

73.

Qui penitus liberti sint, clericatum possint suscipere: secus qui, retento obsequio, manumissi fuerint.

74.

De familiis Ecclesiæ manumissos liceat ad ordines promovere,

eorumque bona ad ius Ecclesiæ manumittentis post eorum obitum pertineant. His sicut et aliis Ecclesiæ libertis accusare, vel testificare adversus Ecclesiam, nullatenus licet.

75.

In hoc canone agitur de commonitione plebis, ne in Principem delinquatur: de electione Principum, et de transgressione fidei, quæ Principibus promittitur: de commonitione Principum, ut iuste iudicent, et de ultione nequiter iudicantium: de execratione Suintilæ, et coniugis, et prolis eius: nec non de Geilane germano eius, ac rebus eorum.

Cum non pauca in quattuor hisce prioribus Conciliis stabilita, in subsequentibus quoque decernantur, cumque illud nobis propositum sit, ut operis huius brevitati consulamus, reliquorum Conciliorum historiam summatim dabimus, ea dumtaxat statuta referentes, quæ nobis præcipua, ac notatu digniora videantur.

#### CONCILIUM V.

Huic alius non interfuit Metropolita præter Eugenium II. Toletanum, qui præfuit undeviginti Episcopis provinciarum Hispaniæ, et Galliæ Narbonensis, duobusque Vicariis Episcoporum. Celebratum fuit in Basilica S. Leocadiæ anno Christi 636, primo Regis Chintilæ, qui ingressus fuit Concilium cum Comitibus Palatinis, et Proceribus, auctore Isidoro Pacensi. Actum præcipue fuit de firmanda electione Chintilæ, et de incolumitate, et obedientia præstanda Regi electo.

CON-



## CONCILIUM VI.

**I**nterfuerunt quinque Metropolitani, quadraginta duo Episcopi, et quinque Vicarii Episcoporum: celebratum fuit die nona Ianuarii anno 638, secundo præfati Regis Chintilæ, in Prætorio Toletano in Ecclesia S. Leocadiæ, quod, ut clarissimus Pater Florez interpretatur, erat aula quædam eiusdem Basilicæ, ubi Concilia celebrari consueverant. In primis plura ad disciplinam ecclesiasticam spectantia decreta sunt, nec non et de obedientia regiæ maiestati præstanda, cuius insignis pietas in eo quod neminem, nisi Catholicum, in regno suo degere sineret, commendatur, et imitanda proponitur. S. Braulius Cæsaraugustanus, qui in Conciliis quarto et quinto maxime claruerat, in sexto quoque primas partes egit; cuius et nomine ad Papam Honorium celebrem, et memoria dignam, illam epistolam misit, quæ non parum Romanorum animos commovit, ut Archipræsul dominus Rodericus testatur, et erga cuius genuinam sententiam et mentem plura nostrates auctores commenti sunt. Præfuit Concilio Selva Metropolita Narbonensis: secundo loco subscribit Bracarensis: tertio Eugenius Toletanus: quarto Hispalensis, et secundum acta eiusdem Concilii à clarissimo Florezio edita tom. 15. Hispaniæ Sacræ, quinto loco subscripsit Protasius Metropolita Tarraconensis, non Placentinus, nec Valentinus, ut aliqui asserunt.

## CONCILIUM VII.

**H**uic Synodo interfuerunt quattuor Metropolitæ, viginti quattuor Episcopi, et undecim Vicarii Episcoporum. Celebratum fuit die 19 Octobris anno Domini 646, et quinto Regis Chindasvinti. Canone sexto singulare privilegium Toletano Metropolitæ conceditur (regebat tunc Ecclesiam Toletanam S. Eugenius tertius, qui tertio loco subscribit in editionibus Conciliorum, et Aguirrii, sed secundum MSS. codices quartus ei debetur) ut nempe ad eiusdem solatium et levamen, ob Principis obsequium et reverentiam, ad maius et illustrius regiæ sedis decus finitimi Episcopi teneantur Toleti alternis mensibus, prout Archipræsuli placuerit, commorari, eo dumtaxat tempore excepto, quod et in fructuum collectione, et vindemia facienda insumi solet. Plerique Auctores (sed perperam) hoc privilegium idem existimant esse, quo Metropolitani universi hodiedum gaudent, convocandi ad Concilium Suffraganeos, vel cogendi eosdem ut secum una sollemniora festa celebrarent, aut de gravioribus causis et negotiis pertractarent, quod à Conciliis Emeritensi, et tertiodécimo Toletano Metropolitæ concessum est; quin et illud privilegium idem esse dixerunt, quod S. Leo Vicario suo Illiricensi traditur concessisse.

## CONCILIUM VIII.

**C**elebratum fuit die 16 Decembris anno 653, Reccesvinti quinto. Habitum est in Basilica SS. Aposto-

sto-



stolorum Petri et Pauli, quæ Prætoriensis appellabatur, sita (ut Salazar de Mendoza testatur) intra Gothorum palatia, in eodem solo, ubi nunc cœnobium *Sanctæ Fidei*, et xenodochium *Sanctæ Crucis*. Aulam in qua congregati erant Patres, Rex ingressus, ipsosque allocutus, libellum tradidit, in quo omnia, quæ præcipue discutienda erant, capita continebantur. Ex canonibus huiusce Concilii, præsertim ex quarto, quinto, et sexto, non obscure colligitur, sanctam disciplinam ecclesiasticam in Episcopis, Presbyteris, ceterisque Clericis non fuisse collapsam. Interfuerunt quattuor Metropolitæ, quadraginta octo Episcopi (erravit quippe recentior quidam, qui non ita pridem decem duntaxat et octo convenisse, asseruit). Præfuit uti antiquior Orontius Metropolita Emeritensis. Secundo loco subscribit Antonius Metropolita Hispalensis: deinde S. Eugenius III. Toletanus, qui tunc primum Episcopum urbis regiæ se nominat. Postea subscribit Potamius Metropolita Bracarenis. Post Episcopos, subscribunt decem Abbates, inter quos S. Ildephonsus (sed et in hoc paulo ante citatus auctor deceptus est, qui duodecim Abbates recensuit, cum duæ postremæ subscriptiones ad Archipresbyterum, et Primicerium Toletanos pertineant): deinceps Vicarii Episcoporum absentium: post hos sexdecim viri illustres aulici, Comites, Duces, et Proceres, cum numquam hactenus in Conciliis subscripserint.

## CONCILIUM IX.

Cui præfuit S. Eugenius III, coactum est in Ecclesia S. Mariæ, Templo scilicet maximo, mense Novembri, anno Christi 655, regni Reccesvinti septimo: conveniunt quindecim Episcopi, sex Abbates (ubi et prædicti auctoris neoterici corrigendus est error, qui enumerat octo) inter quos recensendus est S. Ildephonsus, et cuiusdam Episcopi Vicarius, nec non quattuor viri illustres, qui in aula regia præcipuis muneribus fungebantur.

## CONCILIUM X.

Celebratum die prima Decembris anno Domini 656, Reccesvinti octavo. Interfuerunt Metropolitæ Hispalensis, Bracarenis, et Emeritensis, qui et præfuit: Episcopi quadraginta sex per se ipsos, et quinque per Vicarios. Secundo loco subscribit S. Eugenius III. et post eum Hispalensis et Bracarenis Metropolitani. Quod vero nulla prorsus ullius Abbatis subscriptio in hoc Concilio legatur, scriptorum vitio, vel errori merito adscribitur: ratione quippe satis probabili censetur, S. Ildephonsum saltem interfuisse, cui potissimum tribuitur, quod canone decimo sollemnitas Annuntiationis Beatæ Mariæ Virginis translata fuerit à die 25 Martii ad 18 Decembris: quo deinceps per plura sæcula ab Ecclesia nostra celebrata est. Ad numerum quod spectat Præsulum qui interveniunt, omnes quotquot codices in hodiernum diem asservantur, et uni-

ver-



versi fere auctores unanimiter sentiunt fuisse viginti, quamquam Yepes, rerum Benedictinarum scriptor, asserat, ex MSS. quibusdam Escorialensibus, quorum apographa apud se quondam fuerant, constare, quinquaginta Episcopos subscripsisse, præter absentium Vicarios singillatim decem: et eorundem quinquaginta nomina affert, quæ exinde transcripsit P. Florezius in tomo quarto decimo Hispaniæ Sacræ. Inter codices quos Yepes consuluit, et eos quibus ceteri usi sunt, hoc intercedit discrimen, quod in his Segobricensi et Accitano Episcopis nomina *Eusicii* et *Magnarii* tribuantur, in illis vero nominibus *Floridii* et *Iuliani* designentur.

#### CONCILIIUM XI.

Celebratum in Ecclesia maiori S. Mariæ anno quarto Regis Wambæ, die septima Novembris, anno Domini 675. Interfuerunt septemdecim Episcopi provinciæ Carthaginiensis, duo item per Vicarios suos: Abbates insuper quinque, non septem, ut falso existimat iam sæpe citatus recentior. Præfuit Quiricus Metropolita Toletanus. Canon quintus gravissimis verbis ad castitatem servandam, quæ turpiter violari consueverat, quin præcedentium Conciliorum sanctiones tam pestilenti morbo sanando profuissent, Clericos districte hortatur, ac monet. Censent plures in hoc Concilio præscripta fixaque fuisse Episcopaliū sedium Hispaniæ, et Galliæ Gothicæ limina, id quod acerrimi iudicii vir Pater Florezius validissimis refutat argumentis.

#### CONCILIIUM XII.

Habitu in Basilica SS. Apostolorum à die nona usque ad vice-simam quintam Ianuarii anno 681: convenerunt Metropolitani tres, Hispalensis nempe, Bracarenensis, et Emeritensis, et unus supra triginta Episcopi, quibus omnibus præfuit S. Iulianus Toletanus: deinde subscribunt Abbates quattuor: post hos, Episcoporum Vicarii tres: postremo quindecim viri illustres, qui subscripsere, prout in aula regia digniora, et honorificentiora obibant munera. Rex Ervigius, qui vix primum regni sui annum expleverat, aulam, in qua Concilium celebrabatur, ingressus, solitum tommum regium tradidit, in quo præter alia postulabat, ut denuo ius eius legitimum ad sceptrum declararetur. Annuerunt ipsius votis, ut par erat, Patres, et insuper sanxerunt, ut eidem universi parerent. Ab hoc tempore cœperunt præsidere Antistites Toletani, quin antiquitatis eorum ratio haberetur, in quo decori dumtaxat sedis Toletanæ consultum. Et licet in controversiam vocari possit, num Hispalensis Præsul interfuerit, necne, at illud certum et exploratum est, Bracarensem et Emeritensem, S. Iuliano antiquiores, adstitisse: præterquam quod Metropolita Toletanus eo insigni privilegio ab eodem Concilio ornatus creditur, ut simul cum Rege eligeret, et per se ipsum consecraret omnes, quotquot singulis Hispaniæ provinciarum Ecclesiis præficerentur: quod profecto dignitatis et auctoritatis insigne longe illum supra reliquos Metropolitanos extollit. Vide-

dea-



deatur Florezius tomo sexto Hispaniæ Sacræ, dissertat. secunda, §. quarto, et seq.

CONCILIUM XIII.

Celebratum in Basilica SS. Apostolorum Petri et Pauli die quarta Novembris, anno Domini 683, Ervigii quarto, qui Concilio etiam adfuit, et tomum regium Patribus exhibuit. Actum est de restituendo honore iis, qui tyranni Pauli factioni adhæserant, de vectigalibus minuendis, de familia regia, Reginæque decore sartis tectis servandis, et demum de aliis, paucis admodum tamen, ad disciplinam pertinentibus. Præfuit S. Iulianus tribus Metropolitanis Bracarensi, Emeritensi, et Hispalensi, quadraginta quattuor Episcopis, octo Abbatibus, Vicariis septem supra viginti, quos inter Narbonensis, et Tarraconensis annumerantur. Subscribunt postremo loco viginti sex clarissimi viri in aula regia servientes, quorum munera singillatim recensebimus. Non enim uno, eodemque titulo ii omnes signati leguntur; alius quippe se *Ducem* nominat, alius *Comitem*, *Procerem* alius, alius simul *Comitem*, *Ducemque*; neque deest, qui *Comes*, et *Procer* inscribatur, aut qui, sui muneris facta mentione, subiungat, et *Dux*, vel *Comes*, et *Dux*. *Ducis* vero nomen apud Gothos præcellentissimum omnium habebatur, atque idem prorsus designabat, quod nos *Generalis et Supremi Provinciæ Ducis* appellatione dignoscimus: tota namque iurisdictio, integrum imperium, sive

quod ad negotia civilia, politicaque gerenda, sive quod ad rem militarem administrandam attinet, penes ipsos erat. *Comites* absdubio dicebantur illi, qui apud nos à *consiliis*, vel à *secretis* Status nuncupantur. *Proceres* iidem penitus sunt, qui *Magnates*, *Primates*ve Hispaniæ. Diversa vero munera, quibus illi, qui subscribunt, gaudebant, diversis quoque titulis exprimuntur: *Comes Scantiarum*, seu *Archipincerna*: *Comes The-saurorum*, ad quem ærarii regii custodia pertinebat: *Comes Patrimonii*, qui victui regio curando præerat: *Comes Notariorum* Notariorum ordini præfectus: *Comes Spathariorum* Dux regiæ cohortis: *Comes Cubiculariorum* eorum primus, qui in regia camera ministrabant, sicut et *Comes Cubiculi*, qui Regi privatim perpetuo assistebat: *Comes Stabuli*, qui equitatu præsidebat: *Comes civitatis Toletanæ* idem qui Prætor, cuius intererat rempublicam regere, et administrare.

CONCILIUM XIV.

Celebratum à die quarto ad vicesimum usque Novembris, anno 684, eiusdem Regis Ervigii quinto. Interfuerunt septemdecim Episcopi, quibus S. Iulianus præfuit, sex Abbates, decem Vicarii, ex quibus octo partes egerunt Metropolitanorum Tarraconensis, Narbonensis, Emeritensis, Bracarensis, et Hispalensis: quam ob rem nationale Concilium hocce re vera tale auctoritate fuit, nonnulli licet illud inter provincialia recenseant, propterea quod soli convenerint Car-



thaginiensis provinciæ Antistites. Subscriptum est, ut et Summus Pontifex exoptabat, sextæ Synodo œcumenicæ, in qua damnati sunt Monothelitæ, qui unam tantummodo voluntatem in Christo statuendam esse, contendebant. Qua vero in Ecclesia Concilium habitum sit, non memoratur; tamen si non obscure colligatur, in eodem, quo superius, loco coactum fuisse, in Basilica nempe SS. Apostolorum Petri et Pauli.

#### CONCILIUM XV.

**C**elebratum in eadem Basilica die undecima Maii, anno Domini 688, regni Egicæ primo. Præsedit S. Iulianus quattuor Metropolitanis qui interfuerunt, scilicet Narbonensi, Hispalensi, Bracarensi, et Emeritensi, sex supra quinquaginta Episcopis, undecim Abbatibus, quinque Vicariis Præsulum, inter quos Tarraconensis: subscribunt demum septemdecim Proceres Palatini. Confirmata est luculenter, et firmiter habita ea sententia, qua in Christo Domino tres distinctæ substantiæ cognoscuntur, corpus, anima, et divinitas; et denique de rebus ad Regem, et ad eius prædecessoris filios spectantibus actum est.

#### CONCILIUM XVI.

**H**abitu in eadem Basilica SS. Apostolorum, die secundo Maii, anno 693, Regis Egicæ sexto, qui etiam Concilio interfuit, et regium libellum, ut moris erat, tradidit. Ex huius Concilii decretis perspicuum est, eo tempore in omni

Gothorum imperio ad extremum usque depravatos mores, et omnem Christianæ disciplinæ fervorem plane extinctum. Patribus provinciæ Narbonensis convenire non licuit, *ingruente* (ut idem Rex in suo libello testatur) *inguinalis plagæ vastatione, cuius interitu passim ipsa Galliæ provincia ab omnibus desolata dignoscitur.* Graves in hoc Concilio decernuntur pœnæ adversus idololatrias, et Episcopos, seu Presbyteros qui ipsis conniverent. Horrendum sodomiticum, quod omnes sive cleri, sive populi ordines infecerat, pœna gravi vetatur: in suicidii immane scelus canone quarto iusta pœna statuitur: Sisbertus Toletanus Metropolita ab officio deponitur, et fidelium communione privatur, eo quod Regem una cum tota regia familia de medio tollere molitus fuerat; et quoniam adeo nefandum crimen, prolis regiæ mortem machinandi, latius in dies grassabatur, anathematis districtis fulminibus canone decimo prohibetur. Præses adstitit Felix Metropolita Toletanus, quamquam ibidem in locum Sisberti electus: adfuerunt quattuor Metropolitanis, Hispalensis, Emeritensis, Tarraconensis, et Bracarensis, quinquaginta quinque Episcopi, Vicarii tres, Abbates quinque, Proceres aulici sexdecim.

#### CONCILIUM XVII.

**I**n Basilica S. Leocadiæ celebratum die nona Novembris, anno 694, eiusdem Regis septimo, qui et solitum tomum tradidit. Certus patrum numerus, qui illic interfuerunt,

runt,



runt, ignoratur omnino; at id extra dubium est, sexagesimum excessisse: neque ambigi potest, quin, quemadmodum in superioribus Conciliis, Metropolita Toletanus præcellentiore locum occupaverit, ceterisque Antistibus præfuerit. Nonnulli ex Gallia convenerunt: salubres editi canones plures sunt, quorum in postremo læqua pronuntiatur adversus Iudæos sententia, gravissimaque pœna indicitur iis, qui Afris foederati, in Regem coniurationem excitaverant.

### CONCILIUM XVIII.

**D**e anno quo celebratum est, nihil certum affirmari potest, cum (ut ex Isidoro Pacensi coniiicitur) Principibus Egica et Witiza regnantibus, fuerit coactum: eius proinde celebratio ad illud tempus referenda est, quod fluxit à fine mensis Novembris anni 698, quando Egica socium sibi adscivit filium suum Witizam, usque ad tertium decimum, vel quartum decimum eiusdem mensis anni 700, quo die unctus fuit Witiza, ut solus regnaret; eius etenim pater ad extremam iam et decrepitam ætatem pervenerat. Hinc igitur fit, non fuisse celebratum Concilium anno 701, nec 702, ut quidam auctores falso opinantur. Archiepiscopus Rodericus asserit, fuisse

celebratum in Ecclesia S. Petri extra Toleti mœnia, actumque fuisse de regni administratione recte gerenda, et successione Witizæ, cui pater suus eam firmare volebat. Huius Concilii decreta disparuerunt: nos latet, quot Episcopi interfuerint: id certo constat, adfuisse plusquam quinquaginta, et canones huius Concilii generali collectioni fuisse insertos; ex quo nonnulli coniiiciunt, disciplinæ ecclesiasticæ non fuisse adversos: alii contra suspicantur, cum ex eo quod in nulla canonum collectione Hispanorum extant, tum ex nimia disciplinæ ecclesiasticæ relaxatione, quæ in antecedentibus Conciliis indigitatur, tum ex illa prophetica S. Isidori Hispalensis assertionem, Hispaniarum nimirum vastationem imminere, tum denique ex ipsamet coniuratione subditorum in Regem suum, languente militari peritia, et per omnes hominum ordines late grassante omnis generis scelerum ingluvie. Licet in assignando anno quo Concilium hoc celebratum fuit, omnes dissentiant, nemo tamen diffitetur, ad primordia regni Witizæ reiiciendum, cum nimirum ille Princeps nondum in vitia præceps ruerat. Præfuit Felix idem qui in Concilio superiori, si Pacensi fides habenda est, non Gundericus, ut aliis non ita probabiliter placuit.

## CONCILIA TOLETANA

Extra numerum, invasionem Arabum præcedentia.

**C**oncilium nationale celebratum die decima septima Maii, anno 597, duodecimo Regis Reccaredi, in

SS. Apostolorum Basilica. Interfuerunt tres Metropolitæ, Emeritensis, Narbonensis, et Toleta-



nus ( qui erat Adelphius ) cum aliis tredecim Episcopis diversarum provinciarum , ex quo numero fuit S. Ioannes de Valclara , seu Biclarenensis , civitatis Gerundensis , cuius opera desiderantur , non secus ac Pacensis , in editionibus Loaysæ , et Aguirrii , sed à cl. Florezio restituta. Licet quindecim dumtaxat appareant subscriptiones Episcoporum , tamen re vera decem et sex adstiterè. Duos tantum canones præfati Concilii Patres edidit : in primo actum est de castitate servanda ab Episcopis , Presbyteris , et Diaconis ; in secundo de donatione Ecclesiæ facta , et modo eius distributionis.

Concilium provinciale celebratum die 23 Octobris , anno 610 , primo Regis Gundemari. Coactum fuit ad compescendum schisma Episcoporum quorundam , qui obedire renuebant Metropolitæ Toletano , decretumque fuit , ut soli Toletano obedientiam præstarent , non quidem novo , et inusitato excellentiæ Toletanæ privilegio , sed iam ab antiquioribus Patribus in suis decretis Synodalibus præcellentia declarata. Quindecim Epi-

scopi provinciæ Carthaginiensis subscribunt , præter Toletanum , ( tunc temporis erat Aurasius ) qui in causa propria iudicis partes agere noluit. Confirmatum fuit à Rege hoc decretum , poenis statutis adversus transgressores , præter impositas à Concilio : ipseque curavit , ut omnes Episcopi diversarum provinciarum , qui Toletum venerant occasione exaltationis Regis ad thronum , assentirentur : ita ab omnibus fuit executioni mandatum. Subscripserunt igitur viginti sex Episcopi , et quattuor Metropolitæ , Hispalensis , Tarraconensis , Emeritensis , et Narbonensis , insuper duo SS. Episcopi Ioannes Biclarenensis , et Fulgentius Astigitanus.

Aliud Concilium tempore S. Helladii Archiepiscopi Toletani celebratum fuit. Constat ex quadam epistola S. Isidori Hispalensis , remissa ab hoc præclarissimo Doctore ad Helladium Præsulem Toletanum contra quemdam ( ut aiunt ) Episcopum Cordubensem , peccati lasciviæ reum , ut de eo Concilium ferret iudicium. De prædictæ epistolæ auctoritate videri potest clarissimus Florezius.

## CONCILIA CELEBRATA

A Præsulibus Toletanis in civitate Toletana , et in aliis Provinciis post Maurorum expulsionem.

Expugnata civitate Toletana ab Alfonso VI. anno , ut superius diximus , 1085 , die 25 Maii , convocavit Rex anno sequenti Episcopos , Abbates , et optimates regni sui : qui omnes convenerunt Toletum die 18 Decembris , anno 1086 ; et post actio-

nem gratiarum Deo repensam propter insignem Toleti occupationem , decreverunt eligere Archipræsulem Toletanum , qui malis præteritis subveniret : electusque fuit Bernardus Abbas monasterii S. Facundi. Dotem munificentissimam constituit Rex sanctæ

ctæ



ctæ Ecclesiæ Toletanæ, et dissolutum fuit Concilium.

Anno 1088 Bernardus Archiepiscopus Toletanus adfuit tempore verno Concilio habito in oppido vulgo *de Husillos* prope Palentiam, in quo præfuit Cardinalis Ricardus Legatus Apostolicus, et præfixi fuerunt limites inter duas dioceses, Burgensem scilicet, et Oxomensem.

Anno 1089 adfuit idem Bernardus Archiepiscopus Toletanus Concilio Tolosano in Galliis, cui per Legatos præfuit Urbanus II. precibus Regis Alfonsi VI. ut asserit Presbyter Bertoldus, seu Bernaldus, scriptor coætaneus, *pro restauranda Christianitate in Toletana civitate.*

Anno 1090 tempore verno adfuit idem Bernardus Archiepiscopus Toletanus Concilio habito Legionem in Hispania, eo fine, ut characteres Gothici abrogarentur, eorumque loco omnes uterentur characteribus Gallicis. Præfuit hoc in Concilio Cardinalis Rainerius Legatus Apostolicus, postea ad Pontificatum euectus nomine Paschalis II.

Anno 1094 præfatus Bernardus Archiepiscopus Toletanus Concilio Tolosæ in Gallia habito præfuit ut Legatus Apostolicus, ut apparet ex Bulla Urbani II. à Baluzio edita.

Anno 1095 mense Novembri adfuit idem Bernardus Toletanus Concilio Claramontano.

Anno 1096 adfuit idem Bernardus Toletanus mense Martio Concilio Turonensi ab Urbano II. celebrato.

Eodem anno, mense Iulio adfuit

etiam Concilio Nemausensi, cui præfuit idem Pontifex Urbanus.

Anno 1097 præfuit idem Archiepiscopus Bernardus Concilio Gerundensi, celebrato, secundum Baluzium, ad corroborandam ecclesiasticæ libertatis dignitatem.

Anno 1100 adfuit idem Bernardus Palentino Concilio celebrato die quinta Decembris, cui præfuit Cardinalis Ricardus Legatus Apostolicus, ut asserit Pulgar in historia civitatis Palentinæ tom.2. lib.2. pag.131.

Anno 1102, nullatenus vero 1110, nec sequenti, ut credidit Cardinalis Aguirrius, convocavit Archiepiscopus Bernardus, et præfuit Concilio *de Carrion de los Condes*, ubi Episcopi Iriensis, et Mindoniensis iura sua exposuerunt super limitibus suarum diocesium. Florez tom. 18. tract. 59. cap. 4. et tom. 20. pag.75.

Anno 1103, vel proxime sequenti, idem Bernardus Archiepiscopus Toletanus Legionem in Hispania celebravit aliud Concilium, in quo rursus actum est de finibus diocesium Iriensis, et Mindoniensis. Hist.Compost. pag.78. tom.20. Hispaniæ Sacræ.

Anno 1113, die 25 Octobris præfuit idem Bernardus Toletanus Concilio Palentino, quod indixerat ad subveniendum malis, quæ regnum vexabant, et in historia Compostellana referuntur lib. 1. cap.92. et sequentibus.

Anno 1114, die 16 Octobris præfuit idem Bernardus Concilio Legionensi, eo fine, ut pax inter Reginam Urracam, et eius sponsum Alfonsum Regem Aragoniæ restitueretur.

An-



Anno 1115, die sacro Pentecostes celebratum fuit Oveti aliud Concilium, in quo graves poenae adversus fures, et violatores immunitatis ecclesiasticæ imponuntur. Primo loco subscripsit Bernardus Archiepiscopus Toletanus.

Anno 1117, verna tempestate adfuit idem Bernardus Concilio Burgensi, cui præfuit Cardinalis Bosus, ut asserit F. Paulus Rodriguez in MS. vitæ Archiepiscopi Bernardi.

Anno 1129, hebdomada prima quadragesimæ præfuit Archiepiscopus Toletanus Raymundus Concilio nationali Palentiæ congregato à Rege Alfonso VII, in quo anathemate fuerunt perculsi omnes inobedientes Regi, necnon monetæ falsarii. Histor. Compost. lib. 13. cap. 7.

Anno 1154, die secunda Ianuarii præfuit Ioannes Archiepiscopus Toletanus Concilio Salmantino, quod convocari decrevit Rex Alfonsus VII, ut lites inter Episcopos Ovetensem, et Lucensem de limitibus suarum diocesium exortæ sopirentur. Subscribunt in hoc Concilio Rex Alfonsus VII, eiusque duo filii Sancius, et Ferdinandus.

Anno 1179 adfuit Zerebrunus Toletanus Præsul Concilio tertio Lateranensi. Doctor Acheri tom. 1. pag. 639.

Ante annum 1221 asserit Colmenares in historia civitatis Legionensis pag. 188. celebratum fuisse Concilium in civitate Guadalaxarensi ab Archiepiscopo Toletano D. Roderico Ximeno de Rada.

Anno 1229, die 29 Aprilis adfuit idem Archiepiscopus Ruder-

cus Concilio Tarraconensi, cui præfuit Cardinalis Legatus Apostolicus: in eo fuit declarata nullitas matrimonii inter Iacobum Aragoniæ Regem, eiusque sponsam Eleonorem; nam licet bona fide contractum, tertio consanguinitatis gradu erant coniuncti.

Circa hæc tempora refert Castejon tom. 2. Primatus Toletani, Archiepiscopum Toletanum Gundisalum Garciam Gudiel Vallisoleti celebrasse Concilium; sed cum non designet annum, in hoc non immoramur.

Anno 1302, die 29 Aprilis celebravit in oppido Pennafideleni Archiepiscopus Toletanus Gundisalus Diaz Palomeque Concilium provinciale, in quo gravibus sub poenis prohibetur Clericorum concubinitus: renovantur poenae impositæ contra usurarios in Conciliis Lateranensi, et Lugdunensi: declaratus fuit dies festus S. Ildefonsi: quotidie post completorium decretum fuit cantari antiphonam *Salve Regina*. In errorem lapsi sunt, qui hanc Synodum tribuerunt D. Ægidio de Albornoz Archiepiscopo Toletano: necnon Pulgar in Palentina historia deceptus est, volens unum Concilium in duo dividere à D. D. Gundisalvo, et Ægidio celebratis.

Anno 1323, mense Maio Archiepiscopus Toletanus Ioannes, Aragoniæ Infans, Toleti celebravit Synodum diocesanam, in qua quamplura reperiuntur perutilia decreta dogmatica, moralia, et de ecclesiastica disciplina.

Anno 1324, die 21 Novembris idem Ioannes, Aragoniæ Infans, Toleti coegit Concilium provin-

vin-



vinciale, in quo perutiles canones inveniuntur spectantes ad Clericorum modestiam, ad servitium personale Beneficiorum, et contra omnem exactionem pretii pro eleemosyna Missæ; nigris enim coloribus describitur tam execrabilis avaritia.

Anno 1325, die 11 Decembris idem Archiepiscopus Infans Aragoniæ celebravit Compluti Synodum diocesanam, in qua exponuntur varii canones antecedentis Synodi.

Anno 1326, die 11 Februarii idem Archipræsul Infans Aragoniæ Toleti coegit Synodum diocesanam, suoque nomine præfuit in ea Vicarius Generalis.

Eodem anno 1326, die 25 Iunii idem Archipræsul Ioannes Compluti celebravit Concilium provinciale, et in canone primo agnoscitur adhuc perdurasse ecclesiasticam disciplinam, ut Episcopi suffraganei obedientiam præstarent sub iuramento Metropolitæ suo.

Anno 1333 Archiepiscopus Ximinius de Luna Compluti Concilium provinciale convocavit, cuius acta disparuerunt.

Anno 1339, die 19 Maii Archiepiscopus Toletanus Ægidius de Albornoz Toleti congregavit Concilium provinciale, in cuius secundo canone valde commendatur instructio cleri.

Anno 1345 idem Archiepiscopus Ægidius de Albornoz Compluti Synodum diocesanam celebravit, eiusque acta asservantur in archivo S. Ecclesiæ Primatis Toletanæ.

Anno 1347, die 24 Aprilis idem Archiepiscopus Albornoz

Compluti celebravit Concilium provinciale, cuius canon tertius observatione dignus est.

Anno 1354, die 9 Maii Archiepiscopus Toletanus D. Blasius, seu Bascus Fernandez de Toledo Compluti celebravit Synodum diocesanam, aliamque rursus celebravit anno 1356. Ita constat ex archivis S. Ecclesiæ Toletanæ.

Anno 1355, die 1 Octobris idem Archipræsul D. Blasius Fernandez de Toledo celebravit Toleti Concilium provinciale.

Anno 1379 Archiepiscopus Toletanus D. Petrus Tenorius præfuit tribus Conciliis celebratis Compluti, Toleti, et in oppido, vulgo *Illescas*, ad deliberandum, cui ex duobus Pontificibus electis, scilicet Urbano VI. et Clementi VII, deberent Hispani obedire, et post longas dissertationes decretum fuit, ut iudicium Ecclesiæ universalis expectaretur.

Anno 1430, vel 1431, adfuit Concilio Senensi sub Martino V. D. Ioannes de Contreras Archiepiscopus Toletanus.

Anno 1473 Archiepiscopus Toletanus D. Alfonsus Carrillo celebravit Concilium provinciale in oppido *de Aranda de Duero*. Notatu digni sunt canones 13. 15. 19. 20.

Anno 1479 idem Archipræsul Alfonsus Carrillo præfuit Compluti Theologorum cœtui contra Petrum de Osma, qui convictus abiuravit ibi errores suos. *Non venit in mentem* (ait Melchior Canus lib. 5. de Locis Theologicis cap. 4. concl. 7.) alia Episcopalis Synodus *in iudicio fidei à Romano Episcopo confirmata præter Com-*

Com-



*Complutensem sub Alfonso Carrillo Archiepiscopo Toletano, ubi damnatus est Magister Oxomensis, qui falso de clavibus Ecclesie, et pœnitentiæ sacramento sentiebat.*

Anno 1497 Cardinalis Ximènius de Cisneros Compluti Synodum diœcesanam celebravit, et eodem anno, vel proxime sequenti, aliam celebravit in oppido Talabricensi: in utraque perutiles canones statuti fuerunt, inter quos illi præcipui, qui adhuc hodie generaliter observantur, ut in omnibus parochialibus Ecclesiis asserventur libri, in quibus adscribantur omnes baptismatum, defunctorum, et matrimoniorum schedulæ, seu notæ, necnon ut quotannis fierent matriculæ, seu indices civium omnium, qui tempore Paschali debent sacramentum communionis suscipere.

Anno 1536, die 10 Aprilis Toleti congregavit Synodum diœcesanam Archiepiscopus Cardinalis D. Ioannes de Tavera.

Anno 1565, cum adhuc penderet causa contra Archiepiscopum Carranza, Toleti fuit congregatum Concilium provinciale, quod inchoatum fuit die 8 Septembris illius anni, et absolutum die 25 Martii anni proxime sequentis. Typis mandatum fuit præfatum Concilium Compluti, et in eo præfuit D. Christophorus de Roxas Episcopus Cordubensis, ut antiquior suffraganeus.

Eodem anno 1566 quo absolutum fuit prædictum Concilium provinciale, etiam Synodus diœcesana celebrata fuit.

Anno 1580 Cardinalis D. Ga-

spar de Quiroga Toleti Synodum diœcesanam celebravit.

Anno 1582 idem Cardinalis Archiepiscopus Quiroga Toleti celebravit Concilium provinciale, cui adfuit, ut Secretarius, clarissimus Ioannes Baptista Perez Canonicus Toletanus, qui post absolutum Concilium abunde fecit satis objectionibus Concilio Romæ positis, ne denominaretur Sancta Synodus, nec nomen Regii Legati Marchionis de Velada in eo appareret. Inter consultores huius Concilii annumeratus fuit doctissimus Benedictus Arias Montanus. Sessiones habitæ fuerunt in aula Conciliorum palatii Archiepiscopalis.

Anno 1596 Toleti Synodum diœcesanam congregavit Serenissimus Cardinalis et Archiepiscopus Albertus, Archidux Austriae, et eius nomine præfuit D. Garcia de Loaysa et Giron, Coadministrator in spiritualibus, et postea successor in Archiepiscopatu.

Anno 1601 Cardinalis Bernardus Sandoval et Roxas Toleti celebravit Synodum diœcesanam.

Anno 1620 Serenissimus Infans Hispaniarum Cardinalis Ferdinandus Synodum diœcesanam congregavit, et eius nomine præfuit Doctor Alvarus de Villegas, Coadministrator in spiritualibus.

Anno 1648 Synodum diœcesanam celebravit Cardinalis D. Balthasar Moscoso et Sandoval.

Anno 1682 Synodum diœcesanam celebravit Cardinalis D. Ludovicus Emmanuel Portocarrero, eiusque constitutiones hodiedum vigent, et ab omnibus debent observari.



CATALOGUS  
PRÆSULUM ECCLESIAE TOLETANÆ  
HISPANIARUM PRIMATIS.

S. EUGENIUS I.

Sanctum Eugenium, magni Dionysii discipulum, primum Episcopum Toletanum fuisse, plura, neque spernenda, nobis argumenta suadent. In primis enim Ecclesia Toletana à septem retro sæculis id firmissimè tenet, à cuius traditione, ob rationum momenta quæ negantis sententiæ adsertores proferunt, nullatenus discedemus. Sed nec exiguam huic nostræ traditioni auctoritatem conciliat Romanum martyrologium à sapientissimo, prudentissimoque Pontifice Benedicto XIV. recognitum; in eo namque nostrum Eugenium Toletanum Episcopum fuisse, ac Beati Dionysii discipulum, in territorio Parisiensi martyrium subiisse, ac demum subsequentibus sæculis Toletum corpus eius translatum fuisse, iisdem fere verbis asseritur. Iis accedit, Antonium de Ribera Notarium Apostolicum authentico testimonio (quod inter alia regia diplomata Galliarum Regis in quadam capsella servatur in sacrario S. Ecclesiæ Toletanæ) testari, se vidisse tabellam in clathro pendentem capellæ S. Eugenii in præfata Ecclesia S. Dionysii, quæ sequentia verba continebat: *Gaudeat exultans plebs Toletana, cui Dionysius Areopagita egregium Pastorem destinavit Eugenium: socios quoque strenuos*

*aliis urbibus; Toletum autem fortissimum Eugenium.* Quod si ad lectiones, quas XVII. calendas Decembris in officio S. Præsulis Ecclesia Toletana legit, ea quæ par est veneratione, animum convertamus: si denique historias nostræ gentis inspiciamus, omnia inter sese mirifice consentire, reperiemus. Fateamur ergo S. Eugenium, Beati Dionysii discipulum, primum Antistitem, atque adeo parentem, et institutorem Ecclesiæ Toletanæ fuisse; cuius quidem augendæ, amplificandæque amore impulsus, cum in Gallias ad S. Dionysium reversus fuisset, Dioli oppido, à Lutetia Parisiorum haud longe dissito, de fide interrogatus, constanti animo martyrii palmam assecutus est. Illius vero corpus sanctissimum, qua occasione Ecclesiæ nostræ restitutum sit, paucis ostendemus. Iter ad Rhemense Concilium faciens Raymundus Toletanus Antistes, Lutetiæ Parisiorum aliquantulum immoratus, ad S. Dionysii monasterium Religionis gratia se contulit: dum vero eius adyta, et sacra loca pie viseret, in sanctum D. Eugenii prædecessoris sui corpus, Hispanis tunc ignotum, incidit. Quod cum, absoluto Concilio, in Hispanias rediens, Alfonso Regi nunciasset, cœpit carissimi sibi thesauri conquiriti desiderio flagrare. Eius



votis annuens Ludovicus VII. Rex Galliarum , S. Martyris brachium Alfonso VII. Hispaniarum Imperatori concessit ; ac subsequenti tempore Carolus IX. Galliarum Rex Philippo II. Regi nostro corpus sanctissimi Martyris , et Episcopi nostri dono dedit.

2.

**MELANCIUS.**

Initio sæculi IV. interfuit Concilio Illiberitano , cui subscripsit septimo loco secundum ordinem præscriptum in editionibus Synodi correctioribus , quibus adstipulamur. Quapropter cum Osium Cordubensem præcesserit , qui subscribit loco undecimo , necesse est , ut ante annum 294, quo circiter electus fuit Osium , Melancium Episcopum statuamus. Vide tom. 10. Hispan. Sacræ , pag. 162 , 200 , et seq. Quod autem à S. Eugenio primo ad Melancium usque , alius Episcopus non commemoretur , neminem movere debet , ut seriem Toletanorum Præsulum interruptam arbitretur. Non enim mirum , si historiæ illius temporis , in quo idololatria dominabatur , et cuius extinctionem gravia , diuturna , et periculosa bella antecesserunt , et subsecuta sunt , certa monumenta desint.

3.

**PELAGIUS.**

4.

**PATRUNUS.**

5.

**TURIBIUS.**

6.

**QUINTUS.**

7.

**VINCENTIUS.**

8.

**PAULATUS.**

9.

**NATALIS.**

10.

**AUDENCIUS.**

Vide tom. I. nostræ collection. pag. XXXIX. Audencium à Genadio commemoratum Toletanum fuisse Præsulem traditur à S. Ildephonso , qui Asturium post Audencium eam Ecclesiam gubernasse scribit cap. 2. de Viris Illustrib. Scripsit adversus Manichæos , Arianos et Photinianos librum de fide , quem iniuria temporum periisse , dolet idem Gennadius. Ferreras hist. Hisp. ad annum 386.

11.

**ASTURIUS.**

Vide S. Ildephonsum in prædicto tom. I. pag. 285. Interfuit anno 400 Concilio Toletano I. cui subscribit sexto loco.

12.

**ISICIUS.**

13.

**MARTINUS.**

14.

**CASTINUS.**

CAM-



15.

CAMPEIUS.

16.

SINTITIUS.

17.

PRAUMATUS.

18.

PETRUS I.

19.

CELSUS.

20.

MONTANUS.

Vide S. Ildephonsum in eodem tom. I. pag. 285, & nos pag. 1. et seq. Præfuit Concilio Toletano II, et sedit ab anno 522 ad 531 novem annos ex S. Ildephonso.

21.

IULIANUS I.

22.

BACAUDA.

23.

PETRUS II.

24.

EUPHEMIUS.

Ecclesiam Cathedralem consecravit in mense Aprilis anni 587, et Concilio III. Toletano interfuit in mense Maio anni 589. Excellenti probitate vir, et eruditionis laude non vulgari adeo conspicuus, qui vel in exteris regnis mirandus extiterit, ut patet in tom. I. Antiquitat. Eccles. per Scheltratem. Sedit ab anno 579, vel adhuc ante il-

lum: antiquior enim erat ordinatione, quàm S. Leander Hispalensis, qui anno præfato eam sedem iam gubernabat.

25.

EXUPERIUS.

26.

CONANCIUS.

27.

ADELPHIUS.

Subscripsit XVI. calendas Iunii, anno 597, cuidam Synodo Toletanæ ex earum classe, quæ extra numerum vocantur, ut patet in nostra serie Conciliorum.

28.

AURASIUS.

Vide S. Ildephonsum in tom. I. nostræ collection. pag. 286. A Patribus Synodi Toletanæ sub Gundemaro sanctissimus proclamatur. Vixit in Sacerdotio annis ferme duodecim, inquit S. Ildephonsus, quos numerabimus cum Florezio à fine anni 603 ad usque initium 615. Scripsit epistolam adversus Froganum seu Froianum quemdam, qui, deserto Christianorum dogmate, ad Hebræorum partes transivit, Toletique, ut videtur, Synagogam Iudaicam erexit. Non assentimur cl. Baerio, qui hunc Froianum affirmat eum esse quem commemorat Taio Cæsaraugustanus: cum alter vixerit initio sæculi septimi, alter verò medio iam sæculo, videlicet post annum 653, post quem cum Vasconibus rebellavit, ut refert prædictus Taio. Videtis tom. 30. Hisp. Sacr. pag. 189.



29.

S. HELLADIUS.

Vide ibi S. Ildephonsum pag. 287. Sedit, teste eodem Sancto, decem et octo annos, obiitque mense Februario, anno 633.

30.

IUSTUS.

Vid. ibid. S. Ildephonsum. Interfuit Concilio IV. Toletano, cui præfuit S. Isidorus Hispalensis; et rexit ab eodem anno 633 ad usque Martium anni 636. Falluntur egregie Morales, Mariana, Aguirre, nonnullique scriptores alii, qui nimis festinanter S. Ildephonsum legentes, hunc Iustum confundere cum altero S. Helladii Diacono, ac postea Episcopo ignotæ sedis, qui ob intemperantiam morum à suis Clericis, *dormiens, laqueo strangulatus, expiravit*. Tam aperte Ildephonsus utrumque Iustum distinguit, ut non multum indigeamus quadam proluxa Higeræ nota ad Luitprandum id ipsum confirman-tem, inquit Nicolaus Antonius. Sed nobis digna videtur, quæ consulatur ad annum 632, num. 48. Ab aliis auctoribus inter Sanctos noster recensetur Iustus: (ita homines in diversa aguntur: quem alter fæda morte extinctum credit, is ab altero cœlitibus adnumeratur) sed non satis firma ratione, ut videre licet apud Bollandianos ad diem tertiam Septembris in præ-terminis.

31.

EUGENIUS II.

Præter ea quæ narrat ibi S. Ildephonsus pag. 289, vid. quæ refert

S. Eugenius III. in epist. ad S. Braulionem Cæsaraugustanum in eod. nostro tom. I. pag. 80. Interfuit Conciliis V. et VI. Toletanis, et rexit ab anno 636 ad usque 646.

32.

S. EUGENIUS III.

Vid. ibi S. Ildephonsum pag. 290, et nos pag. 13, et seq. Sedit ab anno 646 ad 657, quibus adfuit Conciliis Toletanis VII. VIII. et X. præfuitque IX. Constat ex martyrologio Usuardi, Eugenium Sanctorum fastis iam adscriptum sæculo nono, die decima tertia Novembris, qua eum celebrat Ecclesia Toletana ab initio sæculi XVII. Ita velim corrigas pag. 15. tom. I. col. 2.

33.

S. ILDEPHONSUS.

Videas eundem tom. I. pag. 96. et seq. et tom. II. pag. 323. Rexit à mense Decembris anni 657 ad usque diem 23 Ianuarii 667.

34.

QUIRICUS.

Præsul sanctæ memoriæ à Felice et S. Iuliano dictus: doctrina, vitæ integritate, et pro ecclesiastica disciplina zelo præclarus: congregavit Concilium Toletanum XI. anno 675, et sedit ab anno 667. ad annum 679.

35.

S. IULIANUS II.

Vid. tom. II. collection. nostræ pag. XVI: congregavit Concilia Toletana XII. anno 681. XIII. anno 683. XIV. 684. et XV. anno 688. Rexit Ecclesiam à fine Ianua-

nua-



nuarii anni 680 ad usque diem 6 Martii 690. Vehementer quidem errant nonnulli Theologi qui asserunt, tertium librum S. Iuliani *de comprobatione sextæ ætatis* censorio stigmate confixum à Romana, ut dicunt, Indicis Congregatione, propterea quod Sanctus Antistes in calculo annorum à mundo condito ad usque Christum natum prætulit codicibus Hebræis codices septuaginta interpretum: qua de re aliquid annotavimus sub pag. 130, tom. II. Verùm cum postea deprehenderimus, Gravesonium, et eum secutum Woutersium, qui quidem auctores omnium manibus teruntur, in ea fuisse sententia; operæ pretium facturi existimamus, hic admovere lectorem nostrum, parum diligenter, ne amplius dicam, hoc argumentum ab eis tractatum. Nam si Romana Congregatio Iulianum propterea perculisset, perculisset item Cyprianum, Hieronymum, Augustinum, Cyrillum, Epiphanium, aliosque complures, tam Græcos, quam Latinos Ecclesiæ Patres Iuliano consentientes, vel potius, quibuscum Iulianus consentit, quos adducunt Baronius, et Natalis Alexander: perculisset martyrologium Romanum, quod utitur eadem chronologia: perculisset denique ipsam Catholicam Dei Ecclesiam, quæ, ut scribit præfatus Cardinalis, in supputatione annorum ab origine mundi septuaginta interpretes secuta est, aut sequi consuevit. Tantum abest, ut huius rei causa Iulianus nota aliqua inuri queat. Quid quod etiam post declaratam in Synodo Tridentina authenticam

editionem vulgatam sacrorum Bibliorum, viri præclarissimi, Baronius, Morinus, Pezronius magnis rationum ponderibus propugnarunt opinionem Iuliani, quin Ecclesia in huiusmodi controversia, ad fidem, bonosque mores non pertinente, iudicium suum interponat? Quippe quæ maiestatem, auctoritatemque suam, ut recte inquit Natalis Alexander, ad has minutias chronologicas non demittat. Sed quoniam Gravessonius videtur fultus Malvendæ auctoritate, necessarium est animadvertere, triplicem editionem operis Malvendiani de Antichristo promulgatam esse: primam Romæ ab auctore anno 1604: secundam Valentia in Hispania, adhuc eo vivente: tertiam post eius mortem, Lugduni, anno 1647, quæ adeo differt à prima Romana, sive ordinem capitum respicias, sive substantiam, ut fermè asseram ab editoribus ita fore commutatam. Secundam non vidimus, nullo enim pretio, nec ulla diligentia ad manus eam habere potuimus. Igitur Malvenda in prima editione sibi obiiciens (lib. I. cap. 14.) locum Iuliani, cuius sententiæ non adhæret, neutiquam recurrit ad Congregationis decretum; sed eodem modo cum Iuliano agit, ac cum ceteris Patribus Iulianum præeuntibus in ea sententia. Unde ergo erutum est decretum Congregationis adversus memoratum librum Iuliani, aut à Malvenda, si adhuc velis, seu potius, ut ego arbitror, ab eius editoribus Lugdunensibus, à quibus illud accepit Gravessonius, atque ab eo Woutersius? Si placeat, credatur, eos minus rectè in-

in-



intellexisse de toto libro expuncto expunctionem glossæ, ut loquitur Index Romanus, vel notæ marginalis, ut Hispanus dicit, quæ glossa, vel nota haud est foetus Iuliani, sed eorum qui luci publicæ librum commiserunt. Nolim equidem editores Parisinos, Colonienses, et Lugdunenses Bibliothecæ veterum Patrum adnotationem marginis delevisse, et eius censuram reliquisse. Ita enim fit, ut qui rem accurate non perpendant, de Iuliano possint accipere (et quare non de ceteris SS. Patribus, quos attulimus?) quod de eius libri editoribus Indices præfati notaverunt. Alia nobis dicenda facile occurrunt; sed malumus religiosi, quam audaces videri.

36.

SISBERTUS.

Sedi Toletanæ præfectus anno Christi Domini 690, ab ea tandem deponitur à Patribus Concilii XVI. Toletani, anno 693, die secunda Maii.

37.

FELIX.

Antea Archiepiscopus Hispalensis: ea sanctitatis gloria, et prudentiæ dono conspicuus, ut eum Patres Concilii XVI. quo depositus fuerat Sisbertus, concordibus suffragiis ab Egica Rege in sedis huius regimen expetierint. Scripsit vitam, quam recudimus, S. Iuliani; atque etiam credimus eum auctorem esse opusculi de traditione Missæ Apostolicæ, quod edidit Florezius. Præfuit Concilio Toletano prædicto, et fortasse etiam decimo septimo, et decimo octavo.

38.

GUNDERICUS.

Dono sanctitatis illustris, et in multis mirabilibus ceber habitus, ab Isidoro Pacensi et Roderico Toletano proclamatur. Rexit Ecclesiam ab anno circiter 700 ad annum circiter 710.

39.

SINDEREDUS.

Quamvis sanctimoniam studio clareret, ut idem ait Isidorus, nihilominus (ipse subdit) longævus et honorabiles viros suæ Ecclesiæ imprudenti zelo exagitavit, atque instinctu Witizæ Principis eos vexare non cessavit. Postea incursus Arabum pertimescens, non ut pastor, sed ut mercenarius, Christi oves contra decreta maiorum deserens, Romam se contulit, ubi cuidam Synodo sub S. Gregorio II. anno 721 coactæ subscripsisse creditur. Quando mortuus fuerit, ignoratur.

40.

URBANUS.

Ecclesiæ Toletanæ præcipui Sacerdotes, ne in calamitate Saracenicæ rectore carerent, Urbanum prisci moris virum, morum sanctitate excellentem, Præsulem crearunt. Fuerat is eiusdem Ecclesiæ veteranus Melodicus, ut ait Pacensis, id est Primicerius, seu primus Cantor: et quoniam, Sinderedo superstite, electus est, nonnulli negant, eum fuisse proprium Antistitem, sed functum dumtaxat munere absentis Episcopi spatio circiter viginti quattuor annorum.

SU-



41.

SUNIEREDUS.

42.

CONCORDIUS.

43.

CIXILLA.

Præsul præstantissimus, incredibilis propè zeli, prudentiæ, et optimæ vitæ: turbidum inter cum Barbaris commercium totus incubuit, ut illustrium suorum prædecessorum bonam memoriam scriptis conservaret. Edidit inter alia vitam S. Ildephonsi, quam recudimus; et Christianis carus, Saracenis ipsis venerandus, rexit Ecclesiam ab anno circiter 774 ad annum circiter 783.

44.

ELIPANDUS.

Præsul ætate, ac sapientia venerabilis, et ex ipso eius impugnatore Alcuino, vir senectute gravis, moribus nobilis: adversus errores Migetii constanti zelo pugnavit. Eius doctrina à quibusdam scriptoribus suspecta de Nestoriana labe censetur, ab aliis tamen vindicatur. Consule, quæ diximus tom. I. nostræ collectionis à pag. XIV. usque ad XX. Præfuit ab anno circiter 783 ad annum circiter 808.

45.

GUMESINDUS.

46.

WISTREMIRUS.

Virtutum omnium laude, sed maxime indeffessæ erga gregem, variis tunc ærumnis oppressum, sol-

licitudinis conspicuus. Mirum eius encomium legi potest apud S. Eulogium in epistola ad Wiliesindum Episcopum Pampilonensem, quæ extat tom. II. collectionis nostræ, pag. 539; ubi Wistremirum appellat Spiritus Sancti faculam, et lumen totius Hispaniæ.

47.

S. EULOGIUS.

Electus Toletanæ sedis Archiepiscopus anno 859, quo in persecutione Regis barbari Cordubensis, virtute clarus et fide, palma martyrii coronatur. Præclara ipsius gesta, et scripta debitis encomiis extollit Alvarus Cordubensis. Vide in prædicto tom. II. pag. 394. et seq.

48.

BONITUS.

Quæ de hoc Antistite fabrefacta sunt in illius cerebro, qui vera aut falsa dicere pariter habuit, larvatus auctor sub nomine Luitprandi, merito exhibilaveris cum Nicolao Antonio, et ceteris qui hominis illius convellere auctoritatem assecuti sunt.

49.

IOANNES I.

Præter successionem in pontificatu, quam adstruit, sicuti in omnibus præcedentibus (si exceperis Eugenium I, Melancium, et Eulogium) codex Emilianensis Conciliorum, decimo Ecclesiæ sæculo conscriptus, qui servatur in Regio cœnobio Escorialensi, cetera quæ de Ioanne memorat, ut oppugnet, præfatus Nicolaus, puræ putæ nugæ sunt eiusdem personati Luitprandi. Obiit ex eodem codice anno 926.

PAS.



50.

PASCHALIS.

Toletanam sedem constat obtinere anno 1067, non vero 1077, ut sæpè scripsit Florez tom. 5. Hisp. Sacr. tract. 5. cap. 5. num. 102. et seq. usque ad finem. Ordinatus fuit Legione anno 1058, ut patet ex apographo in scrinio illius Ecclesiæ reperto. Tom. 35. Hisp. Sacr. pag. 83.

51.

BERNARDUS.

Primus post recuperatam ab Alfonso VI. urbem Archiepiscopus, religione, et litteris nulli secundus: optimi mores, præstantissimum ingenium, opinio doctrinæ, spectata magnis et multis in rebus integritas animi, gentis voluntates homini externo, et in Gallia nato, conciliarunt, ait Ioannes Mariana. Templum maximum, ovans ille, lætusque, ex ritu Christiano sollemni cæremonia Deiparæ nomine, Mahometanis sordibus expiatis, sacrauit. Obiit anno 1124, et sedit ab anno 1086. Iacet in S. Andrea veteri sacello Ecclesiæ Primatis.

52.

RAYMUNDUS I.

Pro Ecclesia Oxomensis consecratus, ad Toletanam inde promovetur. Primatus iurium strenuus vindex, quæ duplici Honorii, et Lucii utriusque diplomate roboravit. Interfuit Concilio Palentino, quo ecclesiastica immunitas fuit defensata; et tradita Corduba, in eius Mezquita Catholico ritu sollemnia peregit. Præfuit ab anno 1125 ad 1150, aut 51. Tumulus

latus creditur in eodem sacello.

53.

IOANNES II.

Magno vir animo, et antiquæ probitatis, omnibusque perfecti Præsulis dotibus illustris: interfuit Concilio Turonensi ab Alexandro III. coacto ad sedandum in eius et Victoris IV. electione subortum schisma; et præfuit Salmantino conventui Episcoporum et Magnatum à Rege congregato. Demum maximis curis confectus, et annorum plenus, moritur anno 1166, die 29 Septembris. Sepultus creditur ibidem in Ecclesia Toletana. Prænobilis familia Hispalensis Marchionum *de Campoverde*, qui cognominantur *Gonzalez Torres de Navarra*, haud levibus fundamentis, per amicam manum ad nos transmissis, hunc Antistitem numerat inter alios domesticos Proceres, à quibus maximè illustratur.

54.

CEREBRUNUS.

Primum Archidiaconus Toletanus, deinde Episcopus Seguntinus, et Alfonsi VIII. magister: quo et aliis sibi creditis à Rege muniis egregiè functus, obiit anno 1180, die 12 Maii. Iacere creditur in eodem sacello.

55.

PETRUS III.

DE CARDONA.

Quem nonnulli in catalogum Ecclesiæ Toletanæ Præsulum non referunt: sed verius apparet ad eam promotum ex Pontificiis diplomatis Alexandri et Lucii III. eum electum confirmantibus, vel non-

nul-



nulla negotia delegantibus, quæ in scrinio huius S. Ecclesiæ adservantur. Rexit usque ad annum 1182, quo obiit, die 26 Iunii. Quædam adversaria non contemnenda, quæ servantur in Bibliotheca Ecclesiæ Toletanæ, hunc Antistitem accensent Cardinalibus S. R. E., quamquam in eorum catalogis hucusque editis eius memoria desit.

56.

## GUNDISALVUS I.

PEREZ.

Quem antiquitatum scriptores magnum, et præexcelsæ virtutis virum appellant: decessit III. kalendas Septembris anni 1193. Sepulturæ mandatus existimatur in eodem S. Andreae sacello.

57.

## MARTINUS II.

LOPEZ DE PISUERGA.

Præsul, cuius vita, testimonio Roderici successoris, honor fuit suæ gentis: stola eius, diadema Ecclesiæ: sapientia eius, pax multorum: lingua eius, informatio disciplinæ: manus eius, subsidium pauperum: cor eius ad compassionem humilium: cingulum eius, zelus fidei, et arma eius ad persecutionem blasphemiarum. Electus iam constat die 13 Aprilis, anno 1194, et mortuus 28 Augusti, 1208. Tumulatus creditur in eadem capella Primatis Ecclesiæ.

58.

## RODERICUS I.

XIMENIUS DE RADA.

Electus Episcopus Oxomensis anno 1208, et ad sedem Toletanam promotus anno 1210: magna re-

rum scientia, nec minus virtute commendabilis, cuius auctoritas, ut pereleganter inquit Mariana, semper in Hispania vivet, memoria vigebit. Proclii ad saltus Castulonensis fauces, quibus Losæ nomen est, triumphus haud modica ex parte eius auxiliis, opi, et militari peritiæ tributus. Præclaris multis in Primatibus gestis, sive pietatem, fortitudinem, prudentiam, misericordiam respicias, Talaveræ in Carpetanis erecta Collegiali Ecclesia, ministrisque in ea dotatis, obiit anno 1247, minime 45, aut alio, IV. nonas, aut IV. idus Iunii, secundo Rhodano patriam versus è Gallia navigans, ait Nicolaus Antonius. Corpus eius ad nos delatum Hortenses monachi Cisterciensis ordinis, in Castellæ et Aragoniæ regnorum confinio positi, honorificentissimo sepulcro tumulavère: quod hodie incorruptum post quinque et amplius sæcula, vestibus etiam illæsis, magna cum fama sanctitatis miraculorum argumentis suffulta, in præcipua veneratione est. Vide eius vitam et præclara gesta à nobis conscripta initio huius III. tomi.

59.

## IOANNES III.

DE MEDINA POMAR.

Brevissimum pontificatus eius tempus nihil posteris dicendum reliquit. Obiit die 23 Iulii, anno 1248. Iacet in sacello Ecclesiæ nostræ, Sanctissimæ Trinitati dicato.

60.

## GUTERRIUS I.

Præsul virtute clarus, et regimine commendandus: templum maxi-

Yy                    mum



mum Hispalensis urbis, à Maurica servitute per S. Ferdinandum recuperatæ, sollemniter benedixit die 23 Decembris, anno 1248: VIII. idus Februarii, anno 1249 transfertur ab Innocentio IV. ex sede Cordubensi ad Toletanam, cui præfuit ad usque annum 1250, quo decessit V. idus Augusti, aut die sequenti. Iacet in præfato S. Andreae sacello Ecclesiae Primatis. Hunc Præsulem alii, ut Gomez Bravo in catalogo Cordubensi, cognominant *Ruiz Dolea*; alii vero *Sanchez de Torres*, ut legimus in commemoratis adversariis præfatæ nobilissimæ familiae Hispalensis Marchionum *de Campo verde*. Sed nos neutri parti adhæremus, cum nesciamus, qua Bravo ratione ductus, Guterrium insigniverit illo cognomine. Quod autem idem ille sit ac Episcopus Cordubensis, contra sententiam eiusdem Bravo, atque Didaci Ortiz de Zúñiga in Hispalensibus annalibus, patet ex Bullis, ut dicunt, Innocentii IV, quas edidit Balluzius in tom. I. Miscellan. pag. 218, et seq. edition. Mansi.

## 61.

## SANCIUS I.

Filius Regis S. Ferdinandi, Toleti sub Roderici disciplina educatus, perpetuus Ecclesiae Administrator ab eodem Innocentio creatur. Grandioris post hæc ætatis, sacris ordinibus initiatus, consecratur anno 1259. Præclaris erga Ecclesiam, et Rempublicam officiis illustris, magno civium dolore moritur die 27 Octobris, anno 1261, aut ineunte anno sequenti. Constat electum fuisse VIII.

idus Octobris, anno 1250. Iacet ad lævam, dextramve altaris maximi Toletani inter cetera regia cadavera.

## 62.

DOMINICUS PASCASIUS I. Ecclesiae Toletanæ decanatu potitus, Rodericum, Primatis tunc Præsulem, ad præfatum bellum saltus Castulonensis comitatus, Crucem Archiepiscopalem per hostium cuneos semel et secundo circumtulisse, evasisseque incolumem, scribit ipse Rodericus, quamquam telis omnibus petebatur, multæque sagittæ crucis hastili confixæ fuerunt. Brevisimo temporis spatio Ecclesiam rexit: nam cum electus constet die secunda Martii, anno 1262, statim mortuus apparet ad diem secundam Iunii. Sepultus creditur in sæpe dicto S. Andreae sacello.

## 63.

## SANCIUS II.

Jacobi I Regis Aragoniæ filius, et Alfonsi Sapientis sororius, perpetuus Ecclesiae administrator à Clemente IV. creatur die 21 Augusti anni 1266. Ætate iuvenis, sed maturitate et consiliis ætati superior, illustria multa assecutus est. Tandem bono, sed intempestivo zelo commotus, in difficilius pugnae discrimen ardentem irruens, à Mauris occiditur in bello prope Martos die 21 Octobris, anno 1275. Iacet cum altero Sancio Castellæ Regis filio.

FER-



64.

## FERDINANDUS I.

RODRIGUEZ DE COVARRUBIAS.  
Successit Sancio, ut benè ait Ioannes Mariana; sed quinto post anno amotus fuit Romani Pontificis decreto.

65.

## GUNDISALVUS II.

GARCIA GUDIEL.  
Patria Toletanus, ac eius Ecclesiæ Archidiaconus, ut vocant, titularis; post autem Episcopus Conchensis, et inde Burgensis: primus fuit, secundum opinionem magis receptam, sedis Toletanæ Præsul Cardinalitia purpura insignitus. Eum legitime in decessoris Ferdinandi locum electum Nicolaus III. Pontifex declaravit. Obiit Romæ die 4 Iulii (iuxta alios 2, aut 11 Maii) anno 1299, et translatus creditur ad chorum Ecclesiæ Primatis. Sedit à die 3, seu 4 Maii anni 1280.

66.

## GUNDISALVUS III.

DIAZ PALOMEQUE.  
Decessoris ex sorore nepos, avunculo successit in Archidiaconatu Toletano, in Ecclesia Conchensi, ac demum in Toletana. Præsul pietate, prudentia, et religione commendabilis: Concilium Pennafidense coegit nimis perperam ab aliquibus tributum Ægidio Albornozio. Sedit ab anno 1299 ad diem 2, aut 7 Novembris anni 1310. Sepultus creditur in sacello Ecclesiæ Primatis, S. Lucie dicato, quo translatus referunt ex altero quod Regum veterum appellant.

67.

## GUTERRIUS II. GOMEZ.

Natus Toleti, ibidemque titularis, ut dicunt, Archidiaconus: electus fuit Archiepiscopus die 9 Decembris anni 1310, et obiit circa finem Iunii 1321.

68.

## IOANNES IV.

Iacobi II. Regis Aragoniæ filius, zelo, prudentia, et doctrina præclarus: Toletanus Pontifex Ilerdæ consecratus est eximia utriusque gentis lætitia, spe, plausu, prosperum iustumque pontificatum faustis vocibus ominantium. Quattuor Toleti et Compluti Concilia congregavit. Primatum huius sanctæ Ecclesiæ contra Tarraconensem, ceterosque Aragoniorum Antistites vindicavit. Amplissima hac Metropoli uberrimo fructu gubernata, ob similitates cum Ioanne Emmanuele S. Ferdinandi nepote, causaque adversæ valetudinis, eam dimisit, et pro Tarraconensi commutavit, adiuncta Alexandrini Patriarchæ appellatione ex Romani Pontificis decreto, ne præiudicium aliquod inferretur Ecclesiæ Toletanæ. Sedit ab anno 1321 ad annum 1328, aut 29.

69.

## EXIMINUS DE LUNA.

Cum Ioanne IV Archiepiscopatum Tarraconensem pro Toletano commutavit. Congregavit, ac præfuit Concilio Complutensi anno 1333. Bene de Ecclesia meritus, extremum diem Compluti clausit. Sedit ab anno 1327 ad 1338, quo obiit die 16 Novembris. Tu-

Yy 2

mu-



mulatus creditur in sæpe dicto sacello Ecclesiæ Primatis S. Andreae dicato.

## 70.

ÆGIDIUS ALBORNOZIUS,

S. R. E. EPISCOPUS CARDINALIS  
SABINENSIS.

De cuius virtutibus silere, quam pauca dicere præstaret, nisi ab Innocentio VI. cumulatissimo donatus elogio, dum Italicam legationem ei demandavit, Ægidius maxime commendaretur. En præcipuam illius partem. . . . *Quod personam tuam. . . . Altissimus scientiæ magnitudine, industriæ claritate, et aliis multis virtutibus insignivit, ad te, in cuius affectu geritur pacificare discordes, et virtutum semina serere, nostrum intuitum, ut fortem opere et sermone, mittamus ad fortia, et tuis robustis humeris onera grandia imponamus, duximus dirigendum. Ideoque gerentes de tuis claris meritis, et virtuosis operibus fiduciam in Domino specialem, quamvis nos, et fratres nostri tanti viri præsentia, nobis, et Ecclesiæ Romanæ necessaria, et perutili, careamus invit. . . te, tamquam pacis Angelum, ad . . . partes. . . . Lombardiæ &c. . . vices nostras. . . committendo, ut in eis . . . status. . . prout tibi gratiæ cælestis infusio, et tua etiam providentiâ ministrabit. . . . destinamus. . . . et. . . te zelatorem pacis, amatorem iustitiæ, ac veritatis amicum, et in arduis negotiis clara fidelitate probatum, reformatorem. . . provinciarum &c. . . specialiter ordinamus. Quid post*

hæc? Expectationi Pontificis præclare satisfaciens Ægidius, Viterbi moritur die 23 Augusti, anno 1367. Prius Assisii deposito eius corpore custoditur, deinde confluentium humeris Toletum transfertur, propriæque restitutum Ecclesiæ, in sacello S. Ildephonsi conditur. Rexit ab anno 1339 ad annum 1350, quo desinente, nuncium sedi misit, cum Cardinalis creatur.

## 71.

GUNDISALVUS IV.

DE AGUILAR.

Præsul humilis in prosperis, in adversis constans: Seguntia, ubi forte exulabat, moritur V. calendas Martii, anno 1353, ibique sepultus iacet. Præfuit ab anno 1351. Nepos eius Nicolaus Aguilar, Episcopus Carthaginensis, hac in Ecclesia statuit quotannis celebrari *duodecim Missas rogatas* (illius audis verba) *pro anima Gundisalvi, Archiepiscopi Toletani, avunculi sui.*

## 72.

BLASIUS, seu BASCUS

FERNANDEZ DE TOLEDO.

Decanus Ecclesiæ Toletanæ, deinde Episcopus Palentinus: pius, beneficus, et misericordiæ cultor. Levissimis ex causis, Regis iussui obtemperans, illicò exul è regno, Conimbricæ mansit; ubi sanctam vitam et exilium clausit die 7 Martii, anno 1362. Eius corpus in choro Primatis Ecclesiæ repositum. Sedit ab anno 1353.



73.

## GOMEZIUS MANRIQUE.

Prius Archiepiscopus Compostellæ: vir prudens, mitis, et iustus, qui Ecclesiæ bonum et civium pacem cognatorum votis constanter præposuit. Iacet in choro Ecclesiæ Primatis, et præfuit ab anno 1362 ad annum 1375, quo decessit XIV. calendas Ianuarii.

74.

## PETRUS TENORIUS IV.

A Gregorio XI. de Conimbricensi ad Toletanam sedem promovetur, eruditionis laude præstans, quam, Italica peregrinatione obita, maximam ceperat, Baldo præceptore usus: prudentia ex multarum rerum usu collecta, atque animi magnitudine ea tempestate clarissimus. Extant multa et præclara ædificia in universa Toletana provincia Tenorii expensis constituta, munificentissimi animi certissima argumenta. Toleti pontem, cui nomen est à S. Martino, eversum restituit, et templo maximo amplissimum peristylum coniunxit, ubi ipsius sepulcrum cernitur sacello S. Blasio dicato, quod impensa Præsulis exstructum erat. Aliis locis alia, munifice omnia, religioseque. Obiit anno 1399. die 28 Maii.

75.

## PETRUS DE LUNA V.

Filius fratris Pontificis Benedicti XIII. nuncupati, Ecclesiæ Dertusanæ Administrator: inde ad Toletanam transfertur. Sedit ab anno 1404, et vita functus die 18 Septembris, anno 1414. Iacet in

sacello, cui ab Ildephonso nomen est, in Ecclesia Primate.

76.

## SANCIUS III. DE ROXAS.

Primum Episcopus Palentinus: vir domi clarus, militiaeque, præcipua ingenii dexteritate, atque animi magnitudine. Compluti die 24 Octobris, anno 1422, diuturno morbo consumptus est, cum Primati Ecclesiæ præfuisset ab anno 1415 post diem 10 Iunii. Sepulcrum marmoreum in D. Petri templi maximi Toletani sacello, quod eius impensa erat exstructum, cernitur.

77.

## IOANNES V.

MARTINEZ DE CONTRERAS.

Antea Decanus Ecclesiæ Toletanæ. Interfuit Concilio Senensi sub Martino V, quo, velut Hispaniæ Primas, alios Archiepiscopos non Primates, etiamsi ætate et ordinatione antiquiores fuerint, præcessit, uti gemina eiusdem Pontificis diplomata, quæ Ioannes Mariana transcripsit, indicio sunt. Obiit Compluti die 16 Septembris, anno 1434. Corpus in templi Toletani maximi sacellum, cui à S. Ildephonso nomen est, celebri funere illatum. Electus creditur die 18 Novembris anni 1422.

78.

## IOANNES VI.

CEREZUELA.

Frater uterinus Comestabilis Alvari de Luna, primum Episcopus Oxomensis, inde Archiepiscopus Hispalensis, demum Rege annitente, Toletanus renunciatur. Deces-



cessit Talaveræ die 3, aut 4 Februarii, anno 1442. Funus eius in templi Toletani sacellum delatum est, quod Alvari impensa exstructum erat magnificentissimum. Electus creditur anno 1434 ante diem 30 Octobris, et confirmatus fuit ab Eugenio IV. die 8 Novembris.

79.

## GUTERRIUS III.

ALVAREZ DE TOLEDO.

Gubernatis prius sedibus Palentina et Hispalensi, ad Toletanam transfertur: magno vir animo, atque doctrina excultus; severior tamen aliquanto, quam ætatis mores ferre possent. Obiit Talaveræ die 4 Martii, anno 1446; unde in Albam ad Tormim translatus creditur. Ibi in S. Leonardi Hieronymiano cœnobio sepulcrum è candido marmore monstratur sine inscriptione, è medio templo, ubi locatum erat, ad dextram aræ maximæ translatum. Sedit ab anno 1442.

80.

## ALPHONSUS II.

DE ACUÑA CARRILLO.

Antea Seguntinus Episcopus: magno vir etiam animo, turbido tamen et inquieto, uti consequentes reipublicæ motus diuturni, gravesque indicio sunt. Oppas vulgo ignominia causa vocabatur, quasi ingenio simili parem cladem allaturus patriæ. Demum annis gravis, nonque modo civilibus, sed militaribus quoque muneribus idoneus, à quibus tamen necessitate magis temporum, iraque, quam voluntate abscesserat, ipsis calendis

Iuliis (non Iuniis) anni 1482 moritur Compluti, ubi extremam ætatem, melioribus studiis intentus, agebat. Ibi tumulus eius in S. Francisci monasterio, quod ipse instituerat, constitutus est ad aram maximam. Decessit, annos natus 68, non vero 60, ut scripsit Ferdinandus Pulgarius, ex quibus triginta quinque et menses quinque præfuit Ecclesiæ Toletanæ, minimè triginta septem, ut ipse refert auctor.

81.

## PETRUS V.

GONZALEZ DE MENDOZA,

S. R. E. CARDINALIS.

Vir magnus, maiorum gloria non magis, quam suis virtutibus clarus, et in republica administranda maxima per totam vitam prudentia et auctoritate: sed qui, retenta Seguntina Ecclesia, aliisque permultis beneficiis ecclesiasticis, laxata disciplina, renunciatus est Toletanus Archiepiscopus. Ita erant, ait Mariana, eius ætatis mores: quod libebat, licitum videbatur: et Mendozius inter fortunæ obsequia non satis cupiditatibus imperavit. Verum litterati omnes æternum laudent eum necesse est, qui collegium instituit Vallisoleti, unde velut ex arce sapientiæ multi prodierunt, litteris et eruditione præstantes. Installatur (sic postea pro *in possessionem sedis mittitur* nobis dicere licebit) die 20 Martii, anno 1483. Obiit Guadalaxaræ die 11 Ianuarii, anno 1495. Et iacet in templo Toletano ad dextram aræ maximæ.

FRAN-



82.

## FRANCISCUS I.

XIMENEZ DE CISNEROS,

S. R. E. CARDINALIS.

Præsul inclitus omnibus virtutibus Christianis, ecclesiasticis, civilibus, politicis, et sibi tantum æqualis. Nullius fortè usquam, uspiamve maius, quam huius, Nicolaus ait Antonius, fuit de litteris meritum. Ei debemus Complutensium bibliorum, et officii Mixtarabici, hoc est, Missalis, et Breviarii ritus

*Cernere te cælo demissum Nimen ab alto,*

*Lector, Ximenii dum conspicis ora, putato.*

Installatur die 26 Septembris, anno 1495, et moritur die 8 Novembris, anno 1517. Tumulus eius Compluti in S. Ildephonsi collegio ferreis cancellis, opere miro elaboratis, cinctus visitur.

83.

## GUILLIELMUS I. CROYUS,

S. R. E. CARDINALIS.

Natione Flandrus, iuvenis nobilissimis ortus natalibus, ac eruditionis laude commendabilis, ut testis est bene locuples Desiderius Erasmus in nonnullis eius epistolis, atque satis constat ex ea, quam ad Erasmum scripsit Guilielmus, peracuta quidem, ornata, modesta, et digna quæ legatur inter Erasmianas, sub num. 350. Pro auctoritate qua familia Croyorum pollebat, designatus Episcopus Cauriensis, post autem Archiepiscopus Toletanus, sedi Camera-censi, quam tribus annis administravit, nuncium misit, ut videre licet in tom. 3, Gallia Chri-

Gothi, fere oblitterati, editionem. Debemus Complutensis Academiae, toto orbe terrarum celebratissimæ, præstantium hominum parentis, erectionem, in quo difficillimum est, aut mente concipere, aut verbis exprimere, quantum Hispaniæ, quantum Ecclesiæ totius commodis Ximenius inservierit. Debemus alia tam præclara, excelsaque non solum in litteris, sed in rebus aliis publicis gesta, ut peræque quispiam eo de panxerit.

stian. edit. Paris. anno 1725, quidquid in contrarium dixerit Gregorius Mayansius in historia valde proluxa rerum gestarum Ludovici Vives. Obiit Wormaciæ Germanorum, non visa Hispania, die 11 Ianuarii, anno 1521, ætatis suæ 23. Sepultus iacet in Havelera prope Lovanium in cœnobio Cælestinorum iuxta maius altare. Installatur post diem 23 Iulii anni 1518.

84.

## ALPHONSUS II.

DE FONSECA.

Antistes moribus ornatus perurbanis, sed in quos non temere immortalis Ximenius acriter invexit in quadam epistola ad Cæsarem Carolum. Salmanticæ, et Compostellæ, ubi primum fuerat Archiepiscopus, collegia construxit studiosis in sacris disciplinis erudiendis. Obiit die 4 Februarii, anno 1534. Installatur VI. calendas Maii anni 1524. Quod à nonne-

mi-



mine, tamquam magnus verborum artifex, ab Ioanne Siliceo, tamquam stolidè clemens, traductus fuerit, auctor est Alvarus Gomezius in lib. 8. de rebus gestis Cardinalis Cisnerii; sed nos quidquam eius famæ detrahere nolumus.

85.

IOANNES VI. TABERA,

S. R. E. CARDINALIS.

Prudentia eximius et temperantia alicubi scribitur; sed iuris, quod suum arbitrabatur, adeo fuit tenax, ut suis emolumentis, licet minutis, impendio plus studuisse dicatur, quam Episcopum deceret. Pietate flagrans in pauperes, eorum infirmitatibus curandis, magnificentissimum S. Ioannis Baptistæ extra Toleti moenia nosocomium erexit, et pingui censu dotavit. Obiit calendis Augusti, anno 1545. Installatur die 13 Maii, anni 1534.

86.

IOANNES VII.

MARTINEZ SILICEO,

S. R. E. CARDINALIS.

Magnus vir animo, sed acri, et in quod incumbere vehementi: ob pietatis, doctrinæ, integritatis, munificentiae merita supra sortem nativitatis suæ clarus ac venerabilis, functisque honoribus omnino par. Præceptor datus Philippo Hispaniarum Principi, et à confessionibus, et à sacris simul ei fuit. His meritis præfectus Ecclesiæ Carthaginensi, mox ad Toletanam, regio alumno postulante, transfertur, cuius in possessionem mittitur die 30 Ianuarii, anno 1546, et cuius gubernacula tenuit, multis impetitus calumniis, usque ad

1557, die 31 Maii, quo Pinciæ denascitur, sepulturæ loco sibi designato ad Virginum collegium, ubi iacet, impensis suis Toleti erectum.

87.

BARTHOLOMÆUS I.

CARRANZA ET MIRANDA.

Ordinis Prædicatorum, vita, genere, atque eleemosynis clarus. Magnis muneribus à Carolo V, et Philippo Rege Catholico sibi commissis egregie functus; animo in prosperis modesto, et in adversis æquo. Obiit Romæ, quo perductus, venit, causam dicturus fidei, anno 1576, die 2 Maii. Installatur die 5 Martii, anno 1558. Ne quis miretur virum præclarissimum hæresis insimulatum, legat præ aliis Jacobum Echardum in tom. II. Scriptorum ordin. Prædicator. pag. 242, à sectione *Inter opera*, et seq. usque ad finem. Nos verò Ecclesiæ iudicio nostrum submittimus.

88.

GASPAR I. DE QUIROGA,

S. R. E. CARDINALIS.

Hispaniæ Generalis Inquisitor, primum Conchensis, dein Toletanus Præsul renunciatus: in propugnanda iustitia constans, adversa multa perpessus est; sed tandem prosperis aliis, et fastigio honoris commutantur. Obiit XII. calendas Decembris, anno 1594, et installatur X. calendas Novembris 1577. Iacet apud oppidum Madrigalium (in diocesi Abulensi) patrium eius solum, in Ecclesia cœnobii Augustiniani ab eo constructi.

AL-



89.

## ALBERTUS I.

S. R. E. CARDINALIS.

Archidux Austriae, Imperatoris Maximiliani II. filius, eodem anno 1594 à Clemente VIII. successor designatus Gaspari Quirogæ: post eius mortem possessionem sedis iniit die 3 Aprilis anni sequentis, et administravit usque ad 1598, quo Elisabetha Clara Eugenia, Philippi II. et Elisabethæ Valesiæ filia, in uxorem ducta idibus Novembris, Belgii dominatum adeptus, nuncium misit Ecclesiae die nona Iulii. Digna sunt ut legantur, quæ de Alberto scribit post Miræum Andreas Victorellus in historia Pontificum Romanorum Alfonsi Ciaconii, et Bartholomæus Medina in epistola nuncupatoria eius expositionis in tertiam partem D. Thomæ. In qua nuncupatione illud præ ceteris insigne memorat, hunc Principem coluisse impensius Theologica studia.

90.

## GARSIAS I.

LOAYSA GIRON.

Pro Alberto Austriaco vices gerens, eo renunciante, Philippus II. postulavit, ut eidem sedi præficeretur. Sed dum pallium Compluti à Roma expectat, letali contracto morbo, decessit VIII. calendas Martii, anno 1599, cum Ecclesiae possessionem inivisset XV. calendas Septembris præcedentis anni. Erat ille quidem longiori ævo dignissimus, quippe quem aliorum delictum ob gratissimam frontis serenitatem, honestissimam

oris speciem, et incomparabilem morum suavitatem appellabant; verum Deo præscribere nemo potest, Mariana inquit dissertissime, qui singulis vitæ certos fines descripsit nulla exorabile arte. Regiis præpositus eleemosynis, et capellæ, studiisque Philippi Principis ab eodem Philippo II, edidit Concilia Hispaniæ.

91.

## BERNARDUS II.

SANDOVAL ET ROXAS,

S. R. E. CARDINALIS.

Episcopus primum Civitatis, Pampilonensis, et Giennensis, postea Toletanus: hæreticæ pravitate supremus in Hispania vindex, in pauperes munificus, in parentes pius, in omnes ingenuus. Magna in Deiparam incensus pietate, sacrum ærarium, quod Albertus Austriacus coeperat in Ecclesia Primate, variis ab imo ad summa marmoribus ornatum prosecutus est, et sacellum Sanctissimæ eiusdem Virginis descensione consecratum, arctissimo antea inclusum spatio, in ampliorem, pulchrioremque formam redegit. Romæ S. Anastasiæ templum, quo insignitus fuerat Cardinalitio titulo, magnifice à fundamentis restituit. Obiit die 7 Decembris, anno 1618. Installatur die 23 Iunii, anno 1599. Vir nobilissimis ortus natalibus, sed cui forte plus æquo cordi erant.

92.

## FERDINANDUS II.

S. R. E. CARDINALIS.

Philippi II. III. IV. nepos, filius, frater, et perpetuus Toletanæ Ecclesiae Administrator. Omni virtute

Zz

te



te claruit, sed præcipue modestia, veracitate, affabilitate. Moritur Bruxellis die 9 Novembris, anno 1641; fuerat etenim Flandriæ Gubernator à Philippo fratre nominatus; et sedit à die 5 Maii anni 1620. Iuris ecclesiastici defensor acerrimus, opera semper usus est summorum virorum, ne quid contra ius fasque committeretur. Tanta inerat ei in ore, totoque corpore venustas, ac in sermone humanitas, ait Oldoinus, ut nemo in colloquium admissus, illius amantissimus non discederet.

93.

GASPAR II.

DE BORJA ET VELASCO,

S. R. E. EPISCOP. CARD. ALBANENSIS,  
ET PROREX NEAPOLITANUS.

Princeps munificus ac liberalis, inquit Oldoinus, præsertim in pauperes; ita ut dum esset Romæ, in eis alendis singulis annis effuderit decem mille aureos. Quapropter ibi pater pauperum appellatus, ab urbe discedentem egeni magno planctu prosecuti sunt. Licet fuerit promotus è sede Hispalensi, et designatus Archiepiscopus Toletanus ineunte anno 1643, nihilominus non fuit installatus usque ad diem 20 Martii 1645, quo obiit V. calendas Ianuarii.

94.

BALTHASAR I.

MOSCO ET SANDOVAL,

S. R. E. CARDINALIS.

Ex Giennensi Ecclesia ad Toletanam translatus, in gregem sibi utrobique commissum indulgentissima liberalitate semper usus, nullum egenum à se discedere

moestum permisit, amplius pauperibus erogans, quam egestas sperare auderet; ut miraculi genus fuerit tantis expensis censum sufficere. Romæ dum fuit, quotidie pauperes convivas habuit. Illius domus in media curia Romana cœnobium magis præ se ferebat, quam Principis aulam. Demum in propugnanda iustitia constans, et Ecclesiæ immunitatis defensor, obiit XV. calendas Octobris, anno 1665: installatur nonis Octobris anni 1646.

95.

PASCHALIS II.

DE ARAGON,

S. R. E. CARDINALIS.

Postquam in Academia Salmantina omnium acclamatione lauream in utroque iure recepit, et in Toletana publici professoris iuris munus subiit, atque publica è cathedra cum publico plausu, quod in Salmantina didicerat, docuit; Archidiaconus Elborensis (*de Talavera*), Hispaniæ in urbe Protector, Neapolitanus Prorex, Inquisitor maximus, à consiliis fuit sanctioribus, aliaque munia obivit. Demum Archiepiscopus, vigilans, pius, humilis, et pacifer, decessit immature IV. calendas Octobris, anno 1677. Installatur nonis Martii, anno 1666. Iacet Toleti intra chorum cœnobii monialium, ut dicunt, Capuccinarum, quod à fundamentis erexit.

96.

LUDOVICUS EMMANUEL I.

FERNANDEZ PORTOCARRERO,

S. R. E. EPISCOP. CARD. PRÆNESTIN.

ET REGII ORDINIS S. SPIRITUS

IN GALLIA COMMENDATOR.

Regni Siciliae Prorex, et Hispani

im-



imperii unicus haud semel Gubernator : modestus, benignus, misericors : præficitur Ecclesiæ Toletanæ anno 1677. Installatur V. calendas Februarii anni sequentis, et moritur XVIII. calendas Octobris anni 1709.

97.

## FRANCISCUS II.

VALERO ET LOSA.

Eximius illius ævi in schola Complutensi Theologus, pro Ecclesia Pacensi consecratus Episcopus, inde ad Toletanam transfertur. Censu pauper, misericordia dives, zelo mirabilis. Factus forma gregis ex animo, oves sibi concreditas verbo vitæ continuo pavit, cibum cuique tribuens pro captu congruentem. Præsulis perfecti dotes feliciter adeptus, obiit 23 Aprilis, anno 1720. Installatur nonis Maii, anno 1715.

98.

## DIDACUS I.

DE ASTORGA ET CESPEDES,

S. R. E. CARDINALIS.

Primus Excellentia titulo, in successores perpetuo protrahendo, decoratus, omni virtute conspicuus, sed præcipue dulci erga omnes genio, et ardenti in egenos misericordia: sacræ Sinaxi asservandæ marmoreum altare, nullis parcens impensis, in Primate construxit. Aliis pluribus commendandus, obiit die 9 Februarii, anno 1734: sedit à die 26 Augusti anni 1720.

99.

## LUDOVICUS ANTONIUS II.

DE BORBON,

HISPANIÆ INFANS, ET S. R. E. CARD. Toletanæ perpetuus Administrator. Post multa erga eam gratitudinis, pietatis, et liberalitatis officia renunciavit dignitati 18 Decembris, anno 1754. Administravit à die 13 Februarii anni 1736.

100.

## LUDOVICUS ANTONIUS III.

FERNANDEZ DE CORDOBA,

S. R. E. CARDINALIS.

Comes de Teba, Ecclesiæ Toletanæ Decanus, eiusdem Archiepiscopus eligitur anno 1755, et installatur die 13 Septembris. Vere pater pauperum, utpote qui tenui victu contentus, amplissimos dignitatis reditus in viduas, pupillos, egenos omnes erogaverit. Demum paterna fervens erga populum suum caritate, ingenti civium dolore moritur die 26 Martii, anno 1771. Iacet in choro sanctorum Capuccinarum.

101.

## FRANCISCUS ANTONIUS

LORENZANA,

S. R. E. CARDINALIS.

Eques magna cruce Regii, singularisque ordinis Hispani Caroli III. insignitus. Antea Doctoralis, ut vocant, Seguntinus, postea Canonicus Toletanus, atque in hac Ecclesia decoratus dignitate, quæ Abbatia Sancti Vicentii nuncupatur. Pro Ecclesia Placentina Episcopus ordinatus, eiusque possessionem adeptus anno 1765, ad metropolim Mexicanam sequenti anno trans-

Zz 2 fer-









# APPENDIX SECUNDA.

---

## SUMMI TEMPLI TOLETANI PERQUAM GRAPHICA DESCRIPTIO.

AUCTORE

**BLASIO ORTIZIO,**  
*Iuris Pontificii Doctore, eiusdem Templi Canonico,  
Toletanaeque Diœcesis Vicario generali.*



APPENDIX SECUNDA.

SUMMI  
TEMPLI TOLETANI  
PERQUAM GRAPHICA DESCRIPTIO.

AUCTORE

BLASIO ORTIZIO,  
Iuris Pontificii Doctore, eiusdem Templi Canonico,  
Toletanaeque Diocesis Vicario generali.

(1) **ALPHONSUS CEDILIUS,**  
**SANCTÆ ECCLESIAE TOLETANÆ PORTIONARIUS,**  
**TOLETANIQUE GYMNASII**  
**IN ARTE GRAMMATICA ET RHETORICA PROFESSOR,**  
**PIO LECTORI SALUTEM.**



X antiqua nimirum consuetudine, candide ac pie lector, in ipso statim librorum ferme omnium frontispicio exhortatoria infigi solet epistola, quæ multos continuo non oscitanter, sed attente ad perlegendum, alioqui non lecturos, excitet, invitet, et alliciat: maturo id quidem consilio fieri, nemo est, qui ambigat. Tum præcipue cum iis de rebus liber scribitur, quæ commendatione sic egeant, ut verborum fuco, aut eloquii pigmentis exornari maxime desiderent, non aliter multum placituræ. Si vero opus id sit, quod veritatem, cuius magna vis est, undequaque contineat, et ita, iuxta Horatii præceptum, misceat utile dulci, ut omne ferat punctum, hac ad lectorem exhortatione supersederi posset. Vino enim (quod aiunt) vendibili suspensa hedera nihil opus. Talem (ni fallor) librum hunc is reperiet, qui sincero animo, et non livoris cote exasperato, ipsum evolverit. Multa quippe sunt, quæ eum multis commendant nominibus, lectuque arguunt perquam dignum. Nam præter auctorem ipsum, quem generis antiquitas, vitæ sinceritas, iuris pontificii peritia, et labor in rebus quidem seriis indefessus ita plane extollunt, de iis potissimum liber agit, quorum singula, aliis sane reperta locis, ad veræ, magnæque laudis testimonium satis superque sufficerent. Quanti ergo putas æstimandum, ubi ea omnia divinæ dono providentiæ

(1) Alphonsus Cedilius, Matritensis, Sanctæ Ecclesiæ Toletanæ Porcionarius, sacra eruditione, et præcipue virtutibus clarus, notus valde est Toleti, ubi Rhetoricam docuit, præclarosque discipulos habuit, inter alios Alexium Vanegas, et Alphonsum Villegas, quem norunt omnes propter eius opus *Flos Sanctorum* nuncupatum.



tiæ coniuncta inveneris? Quæ tandem? Toletum utique, civitas toto ferme terrarum orbe memoratissima: Tagus eam alluens, non à poetis modo, sed et ab historicis, cosmographisque identidem celebratus: et quod longe præstat, et maxime mirum est, celeberrimum, et famigeratissimum sacratissimæ Dei matris, semperque Virginis Mariæ templum. Misso nunc fluvio, quem aureæ multum commendant arenæ: quippe quem inter fluvios aurum vehentes Plinius et multi magni nominis auctores iure nominant. De prima huius inclitæ urbis fundatione, quæ longo intervallo inter alias caput extulit urbes: et quis prima eius iecerit fundamenta (de quo adhuc etiam sub iudice lis est), complura, ex variis certe auctoribus desumpta, satis hic dilucide explicantur. Sed totus fere auctor est in sanctissimo Deiparæ Virginis templo hoc, ad minutissima usque describendo. Ubi ea non sine magna animi voluptate leges, quæ non peregrinis modo, sed multis etiam Toletanis civibus parum hactenus fuerunt cognita. Quam multa, quam varia, quam memoratu digna in hoc, licet parvo opere, sedulo tamen scripta reperies? Quis non admirabitur, aut potius velut in ecstasim rapietur, ingenti affectus gaudio, divinum, summeque admirandum, Dei matris semperque Virginis descensum legens? cum ipsa Virgo, Sanctarum longe omnium Sanctissima, ex supremo cœlorum culmine, choris comitata cœlestibus, olim descendit, ut hanc dicatam sibi ædem viseret, beatumque Ildephonsum, veste de cœli thesauris allata, virgineis suis ipsa manibus exornaret. Bone Deus! quantum te oblectabit vera officii, Mozarabi appellati, quod in hac potissimum Ecclesia recolitur, descripta pulcherrime origo? Et ne, quæ in libro sine multo quidem negotio legenda tibi sunt, prædicere videar, vitio enim id fortasse daretur, cetera non inamœna tacitus præteribo. Quæres autem, quid auctorem, virum bonum, iuxta ac prudentem, ac circumspectum, ad præsens edendum opus impulerit. Ea profecto causa, ut Philippo, inter terræ Principes longe maxi-  
mo,

mo, aliquod in hac re præstaret obsequium, quippe quem singula cognitu dignissima, quæ in hac sunt Ecclesia, cognoscendi avidum non ignorabat. Atque ut iam hinc nota essent, quæ longe retro sæculis in hac Ecclesia, omnium ferme, quas habet orbis, celeberrima, diu multos latuerunt. Percunctaberis, credo, etiam de operis stilo atque elegantia. Multa sane sese offerent eleganter, et perquam venuste adscripta: multa alio loquendi genere, ubi non tam in dicendo lepos, quam in docendo veritas exquiritur; ibi enim melius ipsa loquitur res, quam hominum prædicatio. Nonnumquam similia, nonnumquam eadem verba, subinde repetita, (id quod sæpe hic usu venit) eloquii venustatem admittere abnegant. Manilium imitari visus est auctor: qui de astronomia locuturus, dixit: *Ornari res ipsa negat, contenta doceri.* Vel Pomponium Melam ita scribentem: *Impeditum opus, et facundia minime capax.* In hoc itaque libello varia cum sint, velut in hortis poma, decerpas sibi quisque, quod commodum fuerit: et boni consulat, quod pius et honestus auctoris labor eis dumtaxat offert, quibus mentis oculi non sunt livore et odio vitiiati. Cæterum, cum opera ab his, quibus dicata sunt, pondus, æstimationem, atque auctoritatem capere interdum soleant, ut experientia, et Plinii etiam constat testimonio, non inscite in ipsa naturalis historiæ præfatione ita dicentis: *Multa valde pretiosa ideo videntur, quia sunt templis dicata:* quid iam hic liber non sibi tuto polliceri poterit, felicissimo Philippi auspicio, Principis eximii, et omnibus numeris absoluti, in lucem prodiens? Quem ut maximum, si ditionis amplitudinem expectes, ita optimum appellare poteris, si Cæsareas eius virtutes, vereque Christianas animo contemplare. Demens ego, qui tanta ingenii et linguæ inopia, aliud præsertim agens, illius laudem in eo, ad quam vel Livius, aut facundissimus quisque orator longe esset impar. Auspicatissimo igitur Principis, omni ex parte laudabilis, favore prodeat iam liber; spretis inde invidorum morsibus, optima quæque dilacerare solitis. Vale in Christo.



## AD LECTOREM TETRASTICHON.

*Facundo plures celebrarunt ore Toleti  
 Aerias turres, auriferumque Tagum.  
 Ast huius templum, quo non augustius ullum,  
 Nunc primum celebrat gemmeus iste liber.*

## ALIUD.

*Attonitus quicumque legis fastigia templi,  
 Ingentes aras, æmula tecta polo.  
 Desine mirari, superat, quod maxima Virgo  
 Consecrat plantis hæc pavimenta suis.*

## TEMPLUM TOLETANUM AD SPECTATOREM.

*Non quod sim nitidum, fulgens, sublime, superbum,  
 Excultum, pictum, marmora pulchra gerens,  
 Esse tibi tanti cupio, quem picta retardant;  
 Quod fuit hic Virgo, laurea tota mea est.*

*Non visa est usquam similis tibi machina templi,  
 Non similis visa urbs, non similis fluvius.*

AD SERENISSIMUM HISPANIARUM PRINCIPEM

PHILIPPUM

CAROLI V. AUGUSTI FILIUM

BLASII ORTIZII

IURIS PONTIFICII DOCTORIS, TEMPLI TOLETANI CANONICI,

GENERALISQUE VICARII,

IN DESCRIPTIONEM

SUMMI, MAXIMIQUE TEMPLI TOLETANI, A SE EDITAM

P R Æ F A T I O.

*Inter laudes celsitudinis tuæ præclaras, MAXIME PRINCIPUM, pu-  
riore luce tamquam aliquod sidus irradiat, quod amore fidei Ec-  
clesiasticam reverentiam conservas: cuius defensores sunt Prin-  
cipes et Reges (ut sacri canones Isidoro auctore testantur, cap. Prin-  
cipes 23, q. 5.): Principes sæculi nonnumquam intra Ecclesiam pote-  
statis adeptæ culmina tenent, ut per eandem potestatem disciplinam  
ecclesiasticam muniant. Quod optime in genitore tuo semper Augusto  
conspicimus, qui pro fide Ecclesiæ tot pericula, totque indefessos  
labores sustinuit, et adhuc sustinet. Ipse vero iure sanguinis ei-  
dem Ecclesiæ etiam (ut omnibus constat) cuncta tradis, summittis,  
et dedis. Verum cum nihil sit, quod lumine clariori præfulgeat,  
quam recta fides, in Principe, nihilque, quod ita nequeat casu  
labefactari, quam vera religio, ad eas capessendas, ac custodien-  
das, istum animum regium ab ineunte ætate inclinasti. Cæsaribus  
enim virtus contingit ante diem. Nam cum Auctorem vitæ utra-  
que respiciat, recte tenebras respuit, et nescit subiacere defectui.*



*Quamobrem*, GLORIOSISSIME PRINCEPS, *votis omnibus respública Christiana, Iberica præcipue nostra divinam potentiam interpellat, ut ipsa pietatem tuam in hoc ardore fidei, in hac devotione mentis, in hoc integro religionis studio, sine labe in longiora tempora conservet, et augeat. Fides quippe et religio confirmant imperium, et regna custodiunt, et in sublime rerum fastigium provehunt, grataque sibi tranquillitate conservant: l. inter claras, C. de Sum. Trinit. et Fide Cathol. Scriptum est enim: Cum Rex iustus sederit supra sedem, non adversabitur ei quidquam malignum. Atque voce prophetica proclamatur: Iucundetur sibi, et abundet cœlum desuper; et effundant montes iucunditatem, et colles lætitia lætabuntur: in leg. liquet, C. de Sum. Trinit. et Fide Cathol. Quæ quidem benedictiones iustis Principibus non deerunt, quandoquidem divinitus Prophetæ eas promulgarunt: et vates regius in psalmo 71. orando cum clamore supplicat: Deus iudicium tuum Regi da, et iustitiam tuam filio Regis: digna Prophetæ deprecatio, quia cor Regis in manu Dei est, et ubi voluerit, inclinabit illud. Et alibi psalmo 98: Honor Regis iudicium diligit. Perpendens itaque, INCLITE PRINCEPS, fidem et religionem parentibus, avis, atque proavis, quasi naturale seminarium insitas, in te, iure legitimo successorem, transfusas coruscare; attendens præterea sollertiam, quæ cuncta huius sacrosanctæ Ecclesiæ Toletanæ non vulgari devotione investigaveris, lingua audaci loquendi avida, etsi sub duplici custodia naturâ inclusa, huius celeberrimi Templi excellentiam propalare conatus sum. At in rebus magnis animus terrore concutitur, atque in magno positus lubrico pertimescit, audaciæ, temeritative imputandum formidans, eo maxime quod materia pertractanda sublimis sit, atque illustris, virumque omnigena refertissimum doctrina requirens; nimirum, cum de tam insignis Templi amplitu-*

di-

dine sit agendum, atque maximo Principi dicandum opus, cuius gravitas et maiestas non tam exiguae eruditionis hominem modo, sed Mercurium ipsum Trismegistum, et Demosthenem deterreret. Nec me latet, INCLITE PRINCEPS, quam arduum sit ac difficile, domum quantumlibet parvam, nedum hanc sacrosanctam Basilicam, tot sacella atque latibula suo ambitu continentem, describere. Caterum cum aliunde animo meo subiret humanitas tua, qua omnium subditorum vota confoves, libuit nonnulla, ex multis huius almae Ecclesiae Toletanae scitu dignis, tenui (quod aiunt) calamo praelibare, ut tamquam per transennam, magnificentiam eius singularem, PRINCEPS FELICISSIME, tua celsitudo perpendere valeat; quandoquidem singula huius sacrae aedis ornamenta ob parvam moram, brevemque hinc recessum tibi lustrare non licuit. Non autem omnes symmetrias, proportionisque aedificii prosequar, quoniam hoc prope infiniti esset operis, absolutissimumque desiderat architectum, quod à me longe abest; nec tamen omnem commensum deseram, sed illum tantum exponam, qui venustati enucleandae deservit: ita ut historicam potius descriptionem, quam architectorum redoleat stilus. Nec pigeat, obsecro, tuam celsitudinem, ea legere, quae si Scytha, aut Gangesiticus quispiam de templo in extrema mundi plaga posito narraret, mira quadam admiratione audiremus. Adsit Deipara Virgo meis caeptis, quae Templum sibi hoc sua praesentia consecravit, mentem et calamum dirigens, ut in eius honorem hoc opusculum prodeat, quod tuae celsitudini supplex offero, ac ut renidenti vultu suscipias, si licet, efflagitanter exposco. Tractaturo tamen de huius sacrae Basilicæ maiestate, non ab re visum est, nonnulla perstringere de situ et fundatione istius urbis regiae, ubi Templum hoc sacrosanctum locatur, de qua si plura dicerem, semper mihi videretur, eius singularem amplitudinem et magnificentiam toto orbe terrarum notissimam



*attenuare. Sed ut propositis satisfaciam, concessa mihi per te, GLO-  
RIOSISSIME PRINCEPS, facultate, cum firmissima tua protectione et  
favore rem ipsam aggrediar.*

me faceret, INCLITE PRINCEPS, quam arduum sit ac difficile, domum  
quatinuslibet parvam, nichil hanc sacrosanctam Basilicam, tot  
sacella atque latibula suo ambitu continentem describere. Ceterum  
cum aliunde animo meo subiret humanitas tua, qua omnium sub-  
ditorum vota confors, libuit nonnulla, ex multis huius aene Ec-  
clesiæ Tolentis sciri dignis, tenui (quod aium) calamo preliba-  
re, ut tandem per transennam, magnificentiam eius singularem,  
PRINCEPS FELICISSIME, tua celsitudo perspenderet valeat; quando-  
quidem singula huius sacre ædis ornamenta ob parvam moram,  
pretempore hinc recessum tibi iustare non licuit. Non autem omnes  
symmetrias, proportionemque ædificii prospexerat, quoniam hoc prop-  
ter infiniti esset operis, absolutissimumque desiderat architectum, quod  
et me longe abest; nec tamen omnem commentum deseram, sed illum  
tantum exponam, qui comestati emolenda deservit: ita ut histo-  
ricam potius descriptionem, quam architectorum reholat stilius. Nec  
piget, obsecro, tuam celsitudinem, ea legere, que si Scythia, aut Cor-  
gicus quispian de templo in extrema mundi plaga posito narraret,  
mira quendam admiratione audiret. Adhuc Disparto Viro meis  
cepit, que Templum sibi hoc sua presentia consecravit, mentem  
et calamm dirigens, ut in eius honorem hoc osculum prebeat,  
quod tue celsitudini supplex offero, ac ut remittenti vultu suscipias,  
si licet, effraganter exposco. Tractaturo famam de huius sacre Ba-  
silicæ vastitate, non ab re visum est, nonnulla perstringere de situ  
et fundatione istius urbis regie, ubi Templum hoc sacrosanctum lo-  
catur, de qua si plura dixerim, semper mihi videbitur, eius singula  
rem celsitudinem et magnificentiam toto orbe terrarum notissimam

DES-

# DESCRIPTIO TEMPLI TOLETANI.

## CAPUT I.

*De origine ac fundatione Toleti, et eius ubertate, ac temperamento.*

**T**oletum civitas Hispaniæ in regione Carpetana admodum feraci, situ naturâ munitissimo, in alto atque petroso loco, ambulatuque difficili, quinti climatis particeps est; distatque ab æquinotiali linea gradus 41: prædominantur in ea signum Virgo, et planeta Mercurius. Huius urbis tres ferme partes Tagus, per orbem celebratissimus amnis, cingit, et inter saxosa, strictaque loca defluens, suo rapido impetu, arenis aureis, nitidissima, et salubri aqua, et per exterâs etiam provincias admodum famigerata, urbem lætificat; reliqua vero pars, quæ Septemtrionem respicit, duplici muro, multis turribus, et propugnaculis ab incursionibus hostium munitur. Tagus quidem Toletum felicem et opulentam facit, hortos irrigat. Utraque fluminis ripa, superna ad Orientem hortis et arboribus ad leucam (ut nostro idiotismo utar); infèrna autem tantumdem urbem amœniorem reddit. Ad meridiem et Aquilonem, præter multas vineas, arboresque diversas, sunt amygdæta, quæ velut nemora iucundissima conspiciuntur. Toletum ceteris Hispaniarum urbibus illustrior, quæ totius Hispaniæ intima ac mediterranea, ingeniorum acumine, bonarum litterarum studiis, et armorum virtute genuina, valde pollens, soli cœlique serenitate, atque temperamento cunctas Ibericas provincias præcellit. Uberrima omnis generis fructibus, ar-

boribusque, vino præterea, oleo, tritico, pecoribus, armentis, aliisque id genus multis abundans. Toletum enim è Græco nomine *Pto-liethron*, quod oppidum, urbemque significat, deductum esse conicio, et merito antonomastice ab Achivis appellata est urbs. Cuius quidem civitatis cum ter Livius mentionem fecerit, quantæ æstimationis priscis temporibus fuerit, posteris æstimandum reliquit. In quinto enim quartæ decadis libro, *Toletum* (inquit) *ibi*, id est apud Tagum, *parva urbs erat, sed loco munita*; deque eius expugnatione ut de re magna ante dixerat: *Maiores res gestæ à M. Fulvio. Is apud Toletum oppidum, &c.* Et in nono deinde eiusdem belli Macedonici sic ait: *Haud procul Hippone et Toletum urbibus, inter pabulatores pugna orta est: quibus dum utrimque subvenitur à castris, paulatim omnes copiæ in aciem eductæ sunt. In eo tumultuario certamine duo exercitus Romani fusi, atque in castra compulsi sunt: non institere percussis hostes.* Quæ si quis penitus inspiciat, non virium diffidentia, sed nimia securitate sui, quæ inexpugnabilibus locis est invidiosissima lues, expugnatam esse comperiet. De fundatione tamen huius imperialis urbis historici certant, et adhuc sub iudice lis est. Nam D. Rodericus Archiepiscopus Toletanus, non lubricæ fidei auctor, chronicorum lib. 1. cap. 3.

To-



*Tolemon* (inquit) *et Brutus*, duo *Consules*, condiderunt *Toletum*, *centum et octo annis*, *antequam Julius Cæsar regnare cœpisset*, *tempore Ptolemæi Evergetæ Regis Ægypti*. Hæc ille. Quod etymologiae nominis consonum est. *Toletum* namque à nominibus auctorum videtur componi, constatque ex prima et secunda syllabis *Tolemonis*, ac finali syllaba *Bruti*. Neque hoc novum est; legimus enim multas urbes nomina à suis conditoribus accepisse, sicut ex *Tyriis* et *Ausoniis* *Tyrasonam* idem *Rodericus* testatur lib. 1, cap. 5, et *Pampilonam* à *Pompeio*, ac *Cæsaraugustam* à *Cæsare Augusto* conditas refert *Episcopus Gerundensis*, lib. 5, cap. de *Tarracona* urbe. Cui *Didacus de Valera*, rerum *Hispaniarum* chronistes, part. 2, cap. 5, videtur assentiri in historia, quam composuit iussu *Reginæ Elisabeth*, *Reginarum felicissimæ*, tuæ (inquam) *proaviæ*, *Serenissime Princeps*; ubi post longam disquisitionem concludit, à *Romanis* conditam. Bona tamen *Hispaniarum* pars huius urbis *fundationem Herculi Lybico* post interfectum *Geryonem*, *intimam Hispaniam* peragranti, adscribit. Quod comprobare videtur <sup>(1)</sup> *Herculeum antrum* sub *Ecclesia*

(1) Antrum, quod vocatur *Herculeum*, fabulosum existimamus, et verisimilius cloacam à *Romanis* factam, ut per eam civitatis immunditiæ in *Tagum* flumen excurrerent, sicut de cloacis *Romæ* extractis legitur. Aliæ namque minores cloacæ *Toleti* reperiuntur, quarum plurimæ occlusæ, et plurimæ interruptæ sunt; aliæ vero ut *cuniculi* ad adaquandos equos deserviebant.

(2) Theatra *Romanorum* varii generis fuere: alia maiora, ut *Toletanum*, quod,

*S. Genesii*, in hac regia urbe structum; nam si urbs esset condita prius, nullatenus illud vir strenuus *Hercules* inhabitasset. At *Lucius Marineus Siculus*, historiographus regius, in opere de rebus *Hispaniæ* memorabilibus, lib. 2, fabulis hoc adscribit; quin potius sententiæ domini *Roderici* inhæret in hæc verba. *Cæterum de conditore Toleti affirmare certi nihil possum. Tametsi non desunt, qui ab Hercule fuisse conditam fabulantur. Quorum sententia, quoniam sine teste loquuntur, mihi certe non satisfacit. Cum præsertim librum legerim antiquissimum, sed sine principio, et sine nomine eius qui scripserat, in quo mihi multa vera esse videbantur, ubi Toletum à Ptolemæo et Bruto conditam fuisse, scriptum erat, sed à quo Ptolemæo, et à quo Bruto non declaravit. Est autem Toleti ædificium antiquum, de quo Plinius, et alii scriptores meminerunt.* <sup>(2)</sup> *Ubi fuit olim magnum theatrum extra muros ad partem septentrionalem. Quod etiam nunc etsi dirutum, et quasi complanatum est, eius tamen vestigia formaque cernuntur. Quod opus Romani magis, quam aliæ gentes facere consueverant. Huic Lucii Marinei Siculi opinioni accedit id, quod*

presse loquendo, denominari debet *Circus maximus*, ad spectandum cursus bigarum, et quadrigarum, quæ scilicet prior attingeret metam, et quis præ omnibus acciperet bravium; in quo etiam gladiatores pugnabant, et nonnumquam Martyres feris discerpendi obiciebantur: alia, quæ vocabantur amphitheatra, tantummodo ad luctam ferarum deserviebant, et prope valetudinarium *S. Iohannis Baptistæ* extra muros horum vestigium visitur.

quod refert Episcopus Gerundensis in Paralipomen. Hispaniæ, lib. 5, cap. de Tarracona urbe, et aliis urbibus in Hispania à Romanis conditis, inquit: *Brutus in super cognominatus est Gallecus, qui, cum, obtenta Gallecia, diutius cum Lusitanis pugnasset, illosque vicisset, Toletum, urbem ex natura loci munitissimam, in præsidium Lusitanorum construxit. Quæ, cum ab initio parva urbs fuisset, Gothorum tempore tanta effecta est, ut in metropolim creata sit, suppressa metropoli Carthaginensi, sub qua erat, ut ex Conciliorum libro constat: hæc Gerundensis.* Alii Ptolemium quemdam, magicæ artis peritissimum, et inter Hispaniæ proceres longe præstantem, Toletum ædificasse commemorant. Nec existimandum Almonides Toletum urbem fundasse, quod nonnulli affirmant; cum de eorum in Hispanias adventu ambigatur. Immo Antonius Nebrissensis Almonides in Hispaniam venisse negat in chronicis Catholicorum Regum, in operis exordio, his verbis: *Illud præterea, quod in historia, quam vocant generalem, vulgo legitur, venisse in Hispaniam nescio quos Almonides, nemo, arbitror, dicet mihi, qui sint illi, aut quid egerint, aut quo postea concesserint; quin potius ausim affirmare, nunquam fuisse tale genus hominum, sed totum fuisse confictum ab aliquo fabularum concinnatore. Nisi forte quispiam velit dicere, sumptum esse illud ex Ovidio, qui in quintodecimo transmutationum volumine scribit, My-*

*cilum Alemonidem ex Græcia in Italiam penetrasse, ibique Crotonem urbem condidisse; licereque historico, atque poetæ, undecumque accepta materia, suum opus contexere: hæc Nebrissensis.* Almonides tamen in Hispaniam venisse, refert Alfonsus de Cartagena Episcopus Burgensis, in Regum Hispanorum, Imperatorum, Summorum Pontificum, necnon Regum Francorum Anacephalæosi, cap. 4. *Post hæc (inquit) gentes quedam extraneæ, quæ Almonici vocabantur, Hispaniam intrantes, Græcos expulerunt, et regnarunt in ea quadraginta annis. Demum exercitus multi ab Alemania, et insulis adiacentibus, Hispaniam inundantes, Almonicis expulsis, apud Hispanos longis temporibus regnaverunt...* Et collector Conciliorum in exordio primi Concilii Toletani, verba quæ sequuntur, de Toletana urbe scribit: *Huius urbis imperialis meminit Ptolemæus, lib.2, cap.6, tit. Tarraconensis situs; ubi dicit: Iterum australiores Vaccæis, et Arevacibus sunt Carpetani, quorum civitates Ilurbida, Toletum, Complutum.* Et Plinius lib.3, cap. 3, tit. Hispania citerior, ait: *Caputque Celtiberia, Segobricenses, Carpetani, et Toletani Tago flumini impositi.* Atque Antoninus in itinerario titulo: *Alio itinere ab Emerita Cesaraugustam, et Augustobricam, Toletum, Vultiam.* Et iterum tit. *Iter à Limio Toletum, &c.* hæc ille. Cæterum cum variæ sint de huius regiæ urbis fundatione opiniones, crediderim propter vetustatem obliteratam, ac Toletanæ civitatis an-



tiquitatem, ex qua magna urbibus oritur laus, eius conditorem adhuc in tenebris delitescere.

## CAP. II.

*De exordio Christianæ religionis in Ecclesia Toletana per D. Eugenium eius primum Pontificem.*

<sup>(1)</sup>In dictæ civitatis Toletanæ fere umbilico ingens, ac celeberrimum, totoque orbe terrarum notissimum Templum, eam nobilitans, ac illustrans, Deo optimo maximo, Deiparæque Virgini dicatum extat, quod omnes alias ædes sacras, et forma conspicua, et magnificis ædificiis antecedit, in quo memorabilia quamplurima conspiciuntur. Quis eius prima fundamenta iecerit, non minus latet, quam urbis. Illud tamen in aperto est, <sup>(2)</sup>S. Eugenium primum Antistitem, discipulum magni Dionysii, ante alios verbum Domini seminasse, iecisseque nostræ religionis exordia in hac alma Ecclesia; eamque ab illa tempestate in divino cultu perseverasse, pie creditur, usque ad infelicissima tempora Roderici Gothorum Regis, cum pæne tota Hispania venit in ditionem Saracenorum. <sup>(3)</sup>Qui tandem Alfonso Regi VI. ea lege, ut illis impune liceret Mahumetum (quem ipsi Muhamedem vocant)

(1) Templum Toletanum Salvatori, Deiparæque Virgini dicatum est, ut legitur in perantiqua oratione, quæ in processione Dominicali canitur cum subscriptione ad valvas Ecclesiæ.

(2) Hoc in dubium vertitur à quibusdam Galliarum criticis, asserentibus nostrum Eugenium I. nullatenus fuisse Præsulem Toletanum. Quidquid vero di-

venerari in hac sacra Basilica, quam ipsi violantes, Mezquitam fecerant, se, civitatemque hanc dederunt, in die S. Urbani, VIII. calendas Iunii, Æra, ut in chronico Alfonsi Regis, cognomine Sapientis, habetur, 1125. Didacus tamen Valera in 4. part. Historiæ cap. 54, et 65, et 66, inquit, captam Toletum anno Domini 1062. Inscriptio vero posita in pariete septentrionali capituli huius templi habet, Toletum cultui Christiano redditam Æra 1101. Dominus tamen Rodericus lib. 6, cap. 22, dicit captam Toletum Æra 1133: et rursus idem Rodericus in chronico antiquo manuscripto, in Bibliotheca eiusdem Ecclesiæ reposito, in eodem capite asseverat, Toletum sub imperium Alfonsi venisse Æra 1123. Ex supradi-ctis adhuc non constat, quo anno Toletum in ditionem Alfonsi redacta sit, cum in tempore historici valde dissentiant; nam in historia Regis Alfonsi (quem Sapientem appellant) habetur, Toletum captam Æra 1125, scilicet anno Domini 1087: Didacus de Valera affirmat anno 1062: inscriptio capituli Æra 1101: et dominus Rodericus diversimode scribit. Quorum varietas potius vitio, ac depravationi scriptorum, ac impressorum imputanda est, quam veritati auctorum. Hoc, Glo-  
rio-

cant, nos perantiqua non solum traditione innititur, sed etiam testimonio ipsorum Gallorum. Verum de hoc argumento verba fecimus in catalogo Archiepiscoporum, quem antea subiecimus.

(3) Toletum iuxta veriorem et receptiorem computationem expugnatum fuit ab Alfonso VI. et Mauris ereptum anno reparationis 1085, die S. Urbani.

riosissime Princeps, volui intexere, ut tua celsitudo perpendere valeat, quam difficile sit, rerum antiquarum veritatem elicere. Et profecto dolendum est, eorum, quæ non multis retro temporibus in hac regia urbe absque dubio contigerunt, annum, in quo obvererint, penitus ignorari. Quum enim historias multas, quibus eorum temporum facta memorantur, non parva diligentia et inquisitione evolverim, neque eas modo, sed nonnulla etiam eiusdem Alfonsi Regis VI, qui Toletanam civitatem cepit, privilegia, eiusdem urbis civibus irrogata, annum captæ urbis inquirens, nihil sane certum, quin potius repugnantiam inter ipsa historicorum monumenta, non mediocrem, potui invenire.

CAP. III.

*De Æra Cæsaris, et eius supputatione digressio.*

Quoniam vero in Æræ Cæsaris mentionem incidimus, operæ pretium me facturum arbitror, si rem, vulgo quidem celebrem, magis quam cognitam, paucis explicavero. Fuit igitur Hispanis nostris, atque adeo quidem solis Hispanis, iam inde ab ipso Augusti Cæsaris principatu ad usque Ioannem Castellæ Regem, huius nominis primum, peculiaris quædam designandorum temporum ratio, ut à tricesimo octavo ante Christi Servatoris nostri natalem anno initium sumerent supputationis annorum, quam Æram Cæsaris appellabant. Ita demptis ex numero annorum Æræ Cæsaris triginta octo

annis, numerus annorum Christi nati agnoscebatur. Testantur hoc non historiæ modo nostrates, quotquot illorum temporum extant, sed concilia, leges, privilegia, monumenta denique omnia, quæcumque apud nos per mille quadringentos circiter annos (nam tamdiu hæc temporum annotandorum consuetudo duravit) confecta reperiuntur. In quorum etiam nonnullis utrumque annorum numerum, et Cæsaris, et Christi Domini, simul annotatum videre licet: alterum ab altero triginta octo annorum semper intervallo distantem. Ut mirandum sane sit, quid in mentem venerit Gerundensi cuidam Antistiti, rerum Hispanicarum scriptori recenti, in eo libro cui titulum fecit Paralipomenon, asseverare, annum vicesimum sextum ante natalem Domini caput et initium annorum Æræ Cæsaris constituendum. Fuit ille quidem argumento quodam ductus prorsus commentitio, quod nec referre est animus, nec refellere: usque adeo ipsum per se ipsum abunde refellitur. Porro quidnam secuti fuerint vetusti illi Hispani homines, cum annorum Cæsaris Augusti notandorum initium in illo potissimum anno statuerunt, qui ante diem Christi natalem tricesimus octavus numeratur; id vero est, quod solet à viris doctis non immerito dubitari. Nam cum Christum Dominum nostrum constet quadragesimo primo iuxta Tertullianum, aut certe iuxta vulgatiorem Eusebii calculum, quadragesimo secundo principatus Augusti Cæsaris anno natum, si ab ipso principatus initio, id est, ab inito



cum Antonio et Lepido triumviratu, supputationis series repetenda sit; non iam triginta octo, sed quadraginta uno, aut quadraginta duobus annis antiquiorem esse oportebat Æram Cæsaris, quam Æram Christi. Quod si supputationem ipsam non à triumviratu (quod commune magis trium, quam singulare Augusti imperium videbatur), sed ab eo potius tempore ordiendam dicamus, cum excluso Lepido, devicto etiam ad Actium Antonio, solus Augustus Rempublicam tenere cœpit; cum satis compertum sit, hoc non ante tertium decimum, aut certe (iuxta Eusebium) quartum decimum principatus ipsius annum contigisse, nec hac sane ratione potest illius tricesimi octavi anni ratio proposito nostro congruere. Hanc difficultatem, si altius ingredi, exacteque tractare liberet, longior quam pro digressionis modo nobis oratio nasceretur. Quare studiosum lectorem satis putamus admonere, legat attente Plutarchum in Antonio, et Appianum Alexandrinum libro quarto et quinto bellorum civilium; Dionem præterea lib. 46, et 48: simul quoque seriem Consulium illius ætatis per chronographos, in primis per Aurelium Cassiodorum, digestam, teneat. Ita comperiet, cum orbis universus fuerit inter Triumviros Augustum, Antonium, et Lepidum non semel divisus, Hispaniam nostram in prima quidem partitione, quæ triumviratus initio facta est, obtigisse Lepido: in postrema vero, quæ bellum Perusinum est insecuta, Augusto cecidisse. Hanc vero in eum annum reperiet incidisse, qui

Consules habuerit Cn. Domitium Calvinum, C. Asinium Polionem. Porro horum Consulium annus, si Cassiodorum consulas, per triginta octo annos Christi natalem præcessit. Nisi quod secundum Tertulliani calculum (qui anno quadragesimo primo Augusti Christum natum tradit, quem recentiorum etiam chronographorum nonnulli sequuntur) uterque annus, tam Consulium illorum, quam natalis Christi, in supputationem sumendus est. Secundum vero Eusebium, Bedam, et alios, qui quadragesimo secundo Augusti anno diem Christi natalem collocant, alterum illorum annorum extra ipsum triginta octo annorum numerum relinquere oportet. Duplicem hanc dinumerationis formam vulgus inclusivam, et exclusivam nominat, quarum utraque frequens est apud supputatores. Cum igitur in tricesimum octavum ante Christi natalem annum partitio illa Triumvirorum inciderit, non ab re maiores nostri, Principi suo blandientes, initium supputationis temporum inde sumendum esse, publico consilio statuerunt, cum Hispania illum pro suo cœpit Monarcha venerari. Id quod ab Ægyptiis paucos post annos factum legimus, cum, Antonio et Cleopatra sublati, in ipsius Augusti ditionem venerunt; ab eo siquidem anno cœperunt et illi rationem temporum suorum designare. Atque hæc quidem de re ipsa attigisse sufficiat: nunc de voce pauca dicemus. Æræ vocabulum ab ære, id est, tributo, quod scilicet fuerit ab Augusto id temporis orbi imperatum, de-

de-

deduci voluit D. Isidorus Hispalensis, magnus sane auctor; atque illum hac in re vulgus sequitur scriptorum. Sed hanc sententiam, ut multis quidem persuasam, ita à viris doctis fere iam explosam video, totam hanc tributi mentionem, tamquam nullo idoneo auctore fultam, tum etiam anno illi, de quo agitur, nequiquam congruentem, inanem prorsus esse contententibus; idque multis quidem rationibus, quas impræsentiarum persequi, brevitatis instituta non sinit. Sunt rursus qui ab ærea tabula, in qua Augustus (auctore Macrobio libro Saturnalium primo) anni à se correcti ordinem incidendum curarit, Æram appellatam censent. Sed quid, quæso, facit fastorum correctio, dierumque anni ad solis cursum accommodatio (quod unum tunc Augustus agebat), ad supputandorum temporum initium in illo tricesimo octavo ante Christi natalem anno potissimum constituendum, nisi hanc correctionem in ipsum eundem annum appareat incidisse? Atqui eam quidem correctionem satis constat non illo anno, sed deinde post viginti sex (ut minimum) annos ab Augusto factam: nempe, postquam, Lepido mortuo, (quod Tranquillus testatur) Pontificatum ille maximum adeptus est. Quem magistratum undecimo anno ante Christum natum eidem

delatum, Eusebius auctor est in chronicis. Quare non pluribus quidem, quam undecim annis oportebat Æram Christi ab Æra Cæsaris superari, si ratio eius esset ab illa correctione sumenda. <sup>(1)</sup>Verum ut ad id, quod verisimilius videtur, tandem accedamus, cum ex Nonio Marcello, gravissimo haud dubiæ latinæ auctore, liquido constet, Æram vocem latinam esse, quæ numeri notam designet: accedente etiam Lucilii (quem ille advocat) testimonio, cum ait: *Hæc est ratio, perversa Æra numeri, et subducta improbe*: non est profecto, quod absurdum cuiquam videri debeat, si numeri annorum, sive Cæsaris, sive Christi Domini, annotatio Æra dicatur. Admonuit hæc Hermolaus Barbarus, vir undecumque doctissimus, in annotationibus Plinianis: nisi quod adiungit, Æræ vocabulo veteres Astrologos Ptolemæum, Theonem, ceteros usos fuisse pro initio, à quo supputationes incipiunt. Qua in re falsus est prorsus Hermolaus. Nec enim Ptolemæum, aliumve quempiam ex Græcis scriptoribus, eiusmodi vocem legimus usurpasse. Sed ab Hispanis Astrologis, in primis vero inclito illo Rege nostro Alfonso in libro, quem scripsit, Astrologiarum tabularum, Hispano videlicet more inducta, ab aliis deinde recentioribus ex horum imitatione recepta est. Æra er-

(1) Alii non inferiores notæ auctores Æræ vocabulum desumptum esse asserunt à litteris initialibus, quæ exprimebant sequentia verba: *annus erat Augusti: A-ER-A*. Qui quidem Augustus hanc supputationem fieri decrevit 38 annis ante Christi natalem, et perduravit usque ad annum 1383: quo tempore Ioan-

nes I, qui in Hispania regnabat, in comitiis generalibus Segoviæ habitis, hunc supputandi modum omnino substulit, et à Nativitate Domini computandi initium sumendum esse decrevit; sicuti erat iam in Aragonia statutum à Petro IV. anno 1350. Terreros affirmat, Æram sublatam fuisse ab Henrico II, sed perperam.



ergo tantumdem est, quod numerus, non annorum modo, sed cuiusvis rei. Quod testantur etiam priscae illae leges nostrae Gothicae eius codicis, quem dicunt *Fuero juzgo*; ubi libro 2, tit. 2, leg. 4, sic legitur: *Debe rescebir la pena que es contenida en la ley del sexto libro, en el primer titolo, en la Era segunda*. Rursus lib.6, tit. 2, leg. 3, sic habetur: *Faga la emienda, que dice en este sexto libro, en la ley que es en el segundo titol, en la Era primera*. Quin et Isidorus ipse, cuius supra meminimus, initio libri Conciliorum, ubi de ordine celebrandi Concilii dixerit: *Diaconus* (inquit) *alba indutus, codicem canonum in medio proferens, capitula de Conciliis agendis pronunciet, id est, de Concilio Toletano tertio, Æra 18. Item ex Concilio Toletano quarto, Æra 3. Item ex capitulis orientalium partium, quae Martinus Episcopus de græco in latinum vertit, Æra 18, &c.* Cæterum quod in quibusdam Leonis I. Pontificis Maximi epistolis, ex Badii Ascensii impressione editis, Æra annorum in calce adscripta legitur, quæ videri possit Cæsaris Augusti esse; non est, quod propterea arbitremur, hanc annorum supputationem Romanis eo tempore in usu fuisse. Nam eam quidem, non auctoris epistolæ notationem, sed studiosi cuiuspiam lectoris additionem esse, qui ex solo Consulatu in epistola adscripto annorum numerum annotarit, vel ex eo probari potest, quod in quibusdam epistolis hoc solum in fine adscriptum legitur, *Æra qua supra*, id est, Æra superioris epi-

stolæ. Quæ sane verba lectoris cuiuspiam esse, potius quam auctoris epistolæ, nemo non videt. Hoc visum est obiter de Æræ ratione atque vocabulo attingere, non iniucundam fore putans studioso lectori eiusmodi digressionem. Quare iam ad institutum argumentum nostra vertatur oratio.

## CAP. III.

*De creatione Bernardi, primi Archiepiscopi post Toletum cultui Christiano redditam; atque consecratione et dedicatione, præterea primatu, ac dominio huius sacri Templi.*

Postea quam Alfonsus Rex, Fernandi magni filius, divina benignitate Toletanam urbem ab Arabibus eripuit, primus Archiepiscopus, quem Ecclesia Toletana suscepit, fuit Abbas Bernardus. Qui, paucis diebus lapsis post eius electionem, Reginae Constantiæ monitis, eius marito Alfonso Rege absente, contra ipsius Alfonsi iusiurandum, invitis Saracenis, pactio- nibus ruptis, vocatis militibus Christianis, maiorem Mezquitam ingressus est; ac Mahometicis superstitionibus reiectis, in ea altaria fidei Christianæ, et in maiori turri cymbala ad convocationem fidelium collocavit; ut refert Rodericus lib.6, cap.24. Quo ita facto, Bernardus electus conspectui Romani Pontificis se præsentavit, à quo obtento pallio et consecratione, et Primas ab eo Hispaniarum institutus, in Iberiam rediit. Sed rogabit aliquis, quonam modo Hispaniarum primatus ad Ecclesiam Toletanam pertineat? Sane non

te-

temere, sed iure, et ratione, necnon auctoritate. Iure enim; ut in cap. cum longe, 63 dist. ubi ad Præsulem Toletanum omnes institutiones Prælatorum utriusque Hispaniæ spectare, comprobatur. Et supposito, de iure primatiam Ecclesiæ Toletanæ cessisse, non ex eo, quod Barbari eam occuparunt, ius primatiæ amisit; immo Dei misericordia Christianæ religioni restituta, iure postliminii in pristinum redditur statum; ut in cap. primæ, actione 16, q. 4, et leg. in bello, ff. de captivis, et postliminium reversis. Ratione: quoniam Toletum, totius Hispaniæ cum velut quemdam umbilicum referat, provinciales ad Primatem non magno dispendio pro negotiis gerendis pervenire valent: præcipue, cum iure caveatur, ne Episcopales sedes longo inter se intervallo distent; ut in cap. fin. 80 dist. Auctoritate: non cuiuspiam, sed illius magni speculatoris, Iurisconsultorum sui temporis facile Principis, qui, cum de primatibus tractaret sub titul. de dispensatione, §. sunt quoque, de Toletano primatu meminit. Quid multis moror? Ecclesia Toletana, divino, maximeque admirando, beatissimæ Virginis Mariæ consecrata descensu, posthabitis, quæ in controversiam poterant insurgere, primatiam iure optimo sibi vendicavit. Hæc de primatia. Anno autem tertio ab urbe recepta, convocatis Episcopis per D. Bernardum in alma Ecclesia Toletana, ut in lectionibus dedicationis eiusdem habetur, fuit consecrata in festo D. Crispini et Crispiniani Martyrum, VIII. calendas Novem-

bris, atque dedicata, prout D. Rodericus refert lib. 6, cap. 25, in honorem B. Mariæ semper Virginis, ac B. Apostolorum Petri et Pauli, et S. Crucis, necnon D. Stephani Protomartyris. Eo tempore, ut Rodericus lib. 6, cap. 26, auctor est, Urbanus Papa II. dolore motus, eo quod ab Agarenis Hierosolymitana urbs tenebatur, verbum Crucis ipsemet cœpit omnibus prædicare. Eius indulgentiis primas Bernardus provocatus, de Clericis indigenis Ecclesiam Toletanam ordinavit; assumptisque ad viam necessariis, Crucis signaculo insignitus, à propria sede recessit, volens cum exercitu in Syriam transfretare (quemadmodum ea ætate Crucis signati in subsidium Terræ sanctæ facere consueverant, ut in cap. quod super his de voto). Cumque vix esset tribus dietis à propria civitate elongatus, Clerici quos in Ecclesia instituerat, stulti, dixerunt adinvicem, Primatem suum numquam deinceps reversurum; unde spiritu malignitatis et insipientiæ inflammati, alium electione indebita subrogarunt, et Primatis domesticos eiecerunt, qui gradu concito dominum consequentes, prout factum fuerat, nunciarunt. Quod licet videatur peperam et inique gestum, Canonicos privasse præsulatu Pastorem, atque alterum sibi suffecisse; duabus tamen de causis obvenisse arbitror, quæ nostrates à Præsulis sui prodicione vindicant. Prima, quoniam externi (Bernardus enim natione Gallus erat) secundum iuris dispositionem aliis non poterant præfici Ecclesiis, ut in cap. nullus, 16. dist. ubi datur Clericis facultas

re-



renitendi, si viderint, se Prælato alienigena prægravari; et quem sibi ingeri ex transverso viderint, non timeant refutare: verba sunt textus. Secunda, quoniam Galli et Hispani moribus discrepant; neque umquam bene inter illos convenit: et consuetudo eorum, inter quos vivitur, servanda est, ut in cap. illa, 12 dist.: quin immo iniuria fit incolis, si ab aliena Ecclesia, vel eiusdem regni sibi proponitur Præsul, quando in propria reperiretur dignus, nedum si ex aliis regnis ignoti, exterique adducerentur. Hæc non pro diffinitione, sed pro aliquali Canonicorum excusatione annectere volui, cum in Prælatorum privatione alia nimirum forma exquiratur. At Bernardus, suorum relatione non immerito admiratus, Toletum rediit, in auctores sceleris infensus, quos cum electo suo è sede protinus deturbavit, quem ipsi tam præcipiti impetu in Ecclesiæ principatum evexerant. Et tollens aliquos de monachis S. Facundi, usque ad reditum eius in Ecclesiam collocavit, ne interim (dum rediret) divino officio fraudaretur. Hinc dictum arbitror Ecclesiam Toletanam fuisse primitus regularem. Ipse vero Bernardus iterum Romam petiit, et cum ad Sedem Apostolicam pervenisset, prohibuit eum dominus Papa Urbanus, ne ulterius procederet; sed in tanta novitate ad sedem propriam remearet, ne Pastoris absentia plantatio novella periculo subiaceret; et à voto Hierosolymitano, et S. Crucis Primas Bernardus per Urbanum Pontificem absolutus, in propriam Basilicam reverti-

tur. Et B. Giraldum Cantorem in Ecclesia Toletana, postea in Bracarense Ecclesia Archiepiscopum creavit. Et S. Petrum de Vituricis fecit Archidiaconum Toletanum; deinde Episcopum Oxomensem. Et Bernardus de Agino fuit ab eodem Archiepiscopo Cantor in eadem Ecclesia Toletana institutus, et postea temporis successu Episcopus Secontinus, ac Archiepiscopus Compostellanus fuit creatus. Raymundus etiam post B. Petrum à D. Bernardo fuit ordinatus Episcopus Oxomensis, qui etiam successit eidem Bernardo in Ecclesia Toletana. Hieronymum etiam tempore Roderici Campiatoris D. Bernardus Episcopum Valentinum creavit; sed in brevi perdita civitate, eundem Hieronymum Metropolitanus Bernardus in civitate posuit Zamorensi, ut ibi Episcopalia exerceret, in qua nondum fuerat, nec Episcopus, neque Ecclesia Cathedralis: et mortuo isto Hieronymo, quemdam Bernardum dictus Primas constituit Episcopum Zamorensem, et iste fuit Episcopus primus Zamorensis. Magna facinora Bernardi studui opusculo inserere, ut non tantum eius religio, quin etiam armorum strenuitas, amplitudo, potestasque ordinandi Episcopos in Hispaniarum Ecclesiis cunctis pateret. Qui non in Granatenses, vel Mauros, sed in Syriam contra fidei inimicos, ni per Urbanum iustis ex causis prohiberetur, collecto exercitu, in subsidium Terræ sanctæ voluit transfretare. Hæc omnia refert D. Rodericus in suo chronico lib. 6, cap. 26. Sed ne quispiam opinetur, D. Rodericum huic

huic Ecclesiæ, eiusque Præsulibus tantam auctoritatem contulisse absque iuris fulcimento, similia in decretis scripta reperiet, ut cap. cum longe, 63. dist.; ubi iure cautum est, ad Primatem Toletanum omnes Episcoporum, Archiepiscoporum confirmationes in Hispaniarum Ecclesiis pertinere. Ex quibus infertur gloriam atque amplitudinem huius sacræ ædis, eiusque Pontificis temporibus priscis præstantissimam fuisse. Quamquam autem hac tempestate facultas hæc Toletani Præsulis, reliquos Hispaniæ Pontifices instituendi, ordinandique, cessaverit; tamen quod ad primam auctoritatem super ceteros, non Antistites modo, sed cuiuscumque conditionis Optimates, ac Proceres Hispaniæ, conservandam attinet, nihilo nunc inferior Toletanus Præsul est, quam olim fuerit. Quod si quid ex priscis illis iuribus, quæ solent temporum mutatione frequenter mutari, Ecclesiæ nostræ, ipsiusque Pontifici deperisse videatur, totum id, tum sacræ maiestatis, tum celsitudinis tuæ auctoritate, meritisque ac prudentia illustrissimi Præsulis nostri, tui inquam meritissimi præceptoris, vel cum fenore restituendum speramus; ut qui dignissimum nobis Antistitem, Serenissime Princeps, præficiendum curasti, ipsius etiam Sponsam studiose ornasse, amplificasseque videaris. Regum quippe interest, Ecclesiis et Prælati, quorum ipsi sunt patroni, auctoritatem et præminentiam præstare; cum in illorum prosperitate utique prosperentur. Propterea, Catholice Princeps, sacræ maiestatis Imperatoris, et tua refert, Ec-

clesiam Toletanam, eiusque dotem et privilegia augeri, et non minui: tum propter patronatum; tum quia post Pontificalem in orbe terrarum prima ceteras excellit. Atque sicuti Ecclesiæ in multis propriis obnoxia sunt patronis (cap. nobis de iur. patron.), eadem ratione patroni Ecclesiarum suarum prærogativas inviolabiliter observari facere tenentur, cap. filiis 16. q. 7. Nam licet legibus solutus sit Princeps (leg. princeps, ff. de legib.), decet tamen Principes suas leges non transgredi. Digna namque vox est maiestate regnantis, legibus alligatum se Principem profiteri; et re vera, maius imperio est, submittere legibus principatum: Leg. digna vox, C. de Legib.

CAP. V.

*De huius sacræ Basilicæ fundamento in forma, qua nunc inspicitur, ac prima eiusdem dotis constitutione.*

**D**enique Rex Fernandus, Alfonsi IX. Regis filius, simul cum Archiepiscopo domino Roderico iecit primum lapidem in fundamento huius Basilicæ Toletanæ, quæ in forma Mezquitæ à tempore Arabum illucusque extiterat; cuius fabrica opere mirabili in dies, non sine grandi admiratione hominum, excrevit, ut asserit dictus D. Rodericus in lib. 9, cap. 12. Fuitque primitus dotata ab Alfonso, qui urbem Toletum à manibus Saracenorum eripuit prædicta Æra, ut idem Rodericus testatur lib. 6, cap. 22. Extractum itaque est Templum ex lapide albo, polito, Orientem versus, iuxta



universalis Ecclesiæ traditionem, cap. Ecclesiasticarum, 111 distinct. Quod octoginta et octo columnæ prægrandes ex eodem lapide erectæ totam Basilicam, dempto eo membro, quod claustrum appellant, <sup>(1)</sup> in quinque (ut sic dixerim) apsides, quas nos testudines, vulgus vero naves vocat, dividunt. Harum inferiores quasi gradatim assurgunt ad mediam. Totius vero sacræ ædis fabrica, summa arte confecta, habet longitudinem quadringentorum ac quatuor pedum, latitudinem ducentorum duorum. Sed mediæ testudinis, reliquis sublimioris, altitudo est centum et sedecim pedum. Quam ceteris augustiorem videre licet: tum quia multo eminentior, ac pulchrior est; tum vero, quia duobus hinc inde membris condecoratur: altero quidem ab ortu, quod sacellum maius dicitur; altero vero ab occasu, quod cleri stationem possumus appellare: vulgus autem utrumque nominat chorum. Ab horum itaque augustiori, cum in eo conficiatur nostræ redemptionis Hostia, ac asservetur, exordiar; nec ab re me facturum arbitror, si de ipsius sacratissimæ Eucharistiæ Sacramento non nihil obiter prælibavero.

## CAP. VI.

*De Sacramento Eucharistiæ,  
ac eius custodia.*

Quamvis sacrosanctum altaris Mysterium, propter copiosam Dei misericordiam, exuberantemque liberalitatem, omnibus in Ecclesiis

celebretur, tamen, ut tua celsitudo cognoscat, quanto ornatu et reverentia in nostra alma Toletana Ecclesia præ ceteris colatur, ut ex ungue (quod aiunt) leonem æstimes, paucis absolvam. At de ipso Sacramento, cuius Propheta meminit psalmo 110: *Memoriam* (inquiens) *fecit mirabilium suorum*: nihil attingere audebo, præter aliqua desumpta ex iis, quæ à Clemente V. scripta sunt, Clement. 1. de reliquiis, et vener. Sanctorum; videlicet. *Dignum profecto existit, ut sibi in sui, quo nos quotidie spiritualiter reficit, memoriam corporis laudes festiva venerationis, et gratias referamus.* Sed quas, ò mirabile, suave, tutissimum, ac super omnia pretiosum Sacramentum! referemus laudes? In quo innovata sunt omnia, et mirabilia immutata: in quo habetur omne delectamentum, et omnis saporis suavitas, ipsaque dulcedo Domini degustatur: memorabile, sacratissimum, in quo gratam redemptionis nostræ recensemus memoriam, in quo à malo retrahimur, et in bono confortamur. In quo tandem Iesus Christus sub alia forma, in propria vero substantia, est nobiscum. O singularis et admiranda liberalitas, ubi donator venit in donum, et datum est idem penitus cum datore! Quam larga, et prodiga largitas, ubi tribuit quis se ipsum! O excellentissimum Sacramentum! O adorandum, colendum, glorificandum, præcipuis magnificandum laudibus, dignis præconiis exaltandum, cunctis hono-

(1) Præter Capellas, quæ hinc inde à lateribus extant, et alias duas absides faciunt.

norandum studiis, devotis prosequendum obsequiis, et sinceris mentibus retinendum! In cuius decus et honorem inter alios surgat clerus et populus Toletanus in cantica laudum; cordibus, votis, et labiis hymnos persolvat: psallat fides, spes tripudiet, exultet caritas, devotio plaudat, iubilet chorus, pietas iucundetur. Qua de re quantumcumque grandia pro virili ubique referantur, alia nimirum restant, quæ, neque oculus vidit, neque auris audivit, neque in cor hominis ascenderunt: et cum Apostolo concludamus ad Corinthios, cap. 2: ea sunt, quæ non licet homini loqui. Ut igitur ad rem propositam revertamur de cultu et ornatu; licet in rebus magnis satius sit omnino silere, quam pauca dicere; tamen pro ingenii captu nonnulla subnectam. Colitur itaque ineffabile Sacramentum in hoc sacro Templo sublimiori quodam modo, quantum humana fragilitas præstare potest. Nam cruces, calices, maluvia, candelabra, et omnia alia vasa ad divinum cultum sacrata, partim ex auro purissimo, partim ex argenteo conflata sunt. Inter quæ primum locum tenet phylacterium, seu Dominicum Tabernaculum, quod custodiam vocant, miro quodam artificio constructum.

(1) Custodia, seu Tabernaculum, in quo processionaliter defertur SS. Sacramentum in festo Corporis Christi, amplius exornatum hodie conspicitur, quam ætate D. Blasii Ortizii; et de eius opere extat liber MS. à suo Artifice Arfe, et Villafañe, Legionensi, qui asservatur in officina fabricæ S. Ecclesiæ. Insuper collocatur supra currum mirificæ structuræ: eadem nempe forma et ornatu, quo à clarissimo Ambrosio Morales in suo

(1) Est et aliud reliquiarum, arte subtili confectum, quo custoditur sacrosanctum altaris Sacramentum sub tribus seris, et ianuis: illo enim, undique patulo, et conspicuo, Dominico Tabernaculo octo dumtaxat diebus, in Corporis videlicet Christi Octavis nostra hæc Toletana Ecclesia utitur; hoc vero minusculo ad continuam Domini corporis custodiam perpetim utitur. Tus vero, quo denotantur orationes, ut in Apocalypsi cap. 5, sicut electius, et purius, in hoc Templo defertur, ita pie existimandum, supplicum vota facilius in hoc sancto loco exaudiri, efficacius, gratiusque impetrari.

CAP. VII.

*De huius almæ Ecclesiæ ministris, eorumdemque ornatu, sacroque cultu.*

Ornatum vero, quo ministri subserviunt Sacrificio altaris, aliisque divinis, quis poterit explicare? Nam pro qualitate festorum peculiariter sunt ornamenta præfinita diversi coloris, auro intertexta. Albi quidem coloris indumentis utitur Ecclesia Toletana in Nativitate ac Resurrectione Domini; in festis præterea Intemeratæ Virginis Mariæ, et Sanctarum Virginum. (2) Rubei vero in diebus Epi-

Ccc 2 pha-

*itinere sacro* describitur alius, quo SS. Sacramentum Legionem defertur in prædicto festo, tam graphice dispositus, ut numquam descendat, vel ascendat Tabernaculum, sed recte procedat.

(2) Omnis ista varietas colorum, in quo discrepat ab Ecclesiæ Romanæ consuetudine, sublata fuit, iuxta Sacræ Rituum Congregationis decreta. Me autem fugit, an præ oculis habita fuerit bulla S. Pii V. ad preces nostri Catholici Regis Philip-



phaniæ, Pentecostes, S. Crucis, Apostolorum, Evangelistarum, Martyrum, victoriæque de Benamarin. Viridis autem in processione, ac pompa Dominicæ Palmaram, et sollemnitate S. Ioannis Baptistæ dumtaxat. Crocei, seu lutei, in festis Confessorum, Doctorum, Abbatum. Cærulei, seu beneti coloris, in festo Sanctissimæ Trinitatis, et in multis diebus Dominicis: cinerei, in die Cinerum: violacei, in Dominicis Adventus, et Quadragesimæ tempore; item belli, et tribulationum. Cæterum indumentis omnium indiscriminatim colorum, auro simul intextis, in festivitate omnium Sanctorum propter eorum diversitatem; in adventu itidem Regum, Toletanive Præsulis, Summique Pontificis Legati. Nigri vero coloris in Dominica Passionis, in obsequiis præterea defunctorum. Horum denique colorum casulis, capis, dalmaticis, tam auro textis, quam bombycinis et holosericis, ditissima est nostra Ecclesia. Hanc enim colorum, ornamentorumque diversitatem non casu, aut sorte Ecclesia Toletana creditur accepisse; immo gnara utriusque testamenti, eius vestigia imitari dignum duxit: ut traditur dist.40, in summa, cuius verba sunt: *Variis vestibus ex præcepto Domini Sacerdotes ornati leguntur, quia multis virtutibus debet splendere*

lippi II. obtenta, in qua S. Pontifex decrevit, et indulsit, posse retineri laudabiles S. Ecclesiæ Toletanæ consuetudines, tam in Sacrificio Missæ, quam in Sacramentorum administratione, cantu, et aliis, quæ videre licet in præfata bulla. Recte ergo non agit, qui ceteras laudabiles consuetudines turbare con-

*vita Pontificis.* Itaque per varietatem ornamentorum denotantur virtutes et merita, quæ in Dei ministris debent coruscare. Et 43 dist. in cap. sit rector, scribitur fuisse iussum Moysi in Exodo, cap.28, quod Sacerdos tabernaculum ingrediens, tintinabulis, et malis punicis ex auro ambiretur: et gl. ibidem dicit, totidem mala punica inferiori margine tunicæ Sacerdotis pendebant: quæ omnia ornatum et maiestatem ministrorum Dei denotabant. Si enim Iudæi, qui umbræ legis deserviere, hoc faciebant; multo magis nos, quibus veritas patefacta, et gratia per Iesum Christum data est, templi Domini ministros ornare, et venerari debemus. Propterea nemo dicere audeat, hoc ad pompam et ostentationem fuisse institutum; ut nonnulli apostatarum nostræ tempestatis asserere non verentur: qui bona Ecclesiarum perperam sibi vindicare non erubuerunt: quique iusto bello ab Imperatore nostro Carolo V, tuæ celsitudinis genitore semper Augusto, devicti, in septuplum non cum parva illorum sanguinis effusione persolverunt. Quæ res digna lauro, digna curru, singularique digna trophæo fuit, quamvis Cæsar noster invictissimus tantus sit, ut facile triumphos contemnat. Et ne diu vagemur, ad materiam redeamus propositam. Quo ordine

et

tendit; tametsi hanc de usu coloris minime expediat instaurare, cum præsens observantia praxi universalis Ecclesiæ congruat: immo si antiquum usum varietatis colorum renovare vellemus, abs dubio orientur scandala, et suspicari quis posset, Ecclesiam Toletanam à Romana deviare.

et reverentia Subdiaconus calicem (ut Ecclesiastice loquar), patenam, ampullam, malluvium, et manutergium offerat, et ministret; qua etiam veneratione Diaconus Sacerdoti omnibus, quæ aguntur in Sacramento nostræ redemptionis, inserviat, cap. perlectis, 25 distinct.: quanta etiam devotione Presbyter ipse suum munus obeat, et Sacrificium corporis et sanguinis Domini in altari conficiat; non potest ita verbis exprimi, sicut oculis intuentium conspici. Nam sacri loci maiestas devotionem ingerit, spiritum elevat, atque uniuscuiusque animum pium, et ineffabili quodam modo sanctum reddere conspicitur.

### CAP. VIII.

#### *De Musica.*

**H**ic locus exposcit, ut obiter saltem, decentem Ecclesiæ cantum attingam. Quo autem ordine, quaque harmonia, dulcisonisque concentibus eloquia sacra in hac alma Ecclesia resonent; et audientium summa delectatio manifestat, et fama, toto orbe terrarum vulgatissima, notissimum facit. Cantum vero privum, quem simplicem vocant, cuius est in hoc sacro Templo usus, propter eius excellentiam non solum nostra Ecclesia Toletana cum sua diœcesi, verum etiam Granatensis cum omnibus Ecclesiis eiusdem regni, totusque ordo cœnobitarum D. Hieronymi sequitur, et observat. Iam qua melodia, et musica cantorum, tibicinum, sambucistarum, præter organicam illam nullibi non communem, Missa, divinaque alia of-

ficia in hac sacra Basilica celebrentur; ipse Princeps sapientissime, Hispaniarum decus, melius cunctis poteris iudicare: qui, cum intelligeres novitium chororum inventum, sive potius (ut ego opinor) ob vetustatem iam obsoletum (cum olim chori in usu fuerint psal. 148.), in hoc nostro concentu desiderari; tametsi tibi iucundissimi erant, maximeque in deliciis habebantur; eos dignissimo Archipræsuli Toletano, magistro tuo, tradidisti: ut eius pariter, et tuo beneficio, tanto dono Ecclesia nostra ornata frueretur. Cæterum, quia nonnulli, Sanctorum auctoritatibus non probe intellectis moti, et quadam denuo Extravaganti suffulti, videntur quodammodo in Ecclesiis musicam improbare; non indignum censui, in utramque partem quæstionem hanc discutere, et brevi compendio, quid de hoc sentiam, explicare. Et quoniam opposita, teste Philosopho, iuxta se posita, magis clarescunt, pro parte negativa prius arguam: ut in fine concludam usum, laudabilemque consuetudinem Ecclesiarum iure et ratione probari. In primis ergo Hieronymus ait 92. dist. cap. 1. *Cordibus, non vocibus Deo cantandum, et psallendum est.* Qui post pauca addidit: *Audiant hæc adolescentuli, audiant hi, quibus in Ecclesia est officium psallendi.* Cui assentitur Gregorius eadem dist. cap. 2. *In sancta (inquit) Romana Ecclesia dudum consuetudo est valde reprehensibilis exorta, ut quidam ad sacri altaris ministerium constituti, cantores eligantur; et in Diaconatus ordine constituti, modulatio-*



*ni vocis inserviant, quos ad prædicationis officium, et eleemosynarum studio vacare congruebat. Unde fit plerumque, ut in ministerio, dum blanda vox queri-*

*tur, congrua vita negligatur, et cantor minister Deum moribus stimulet, cum populum vocibus delectat. Convenit etiam versus ille vulgaris.*

*Non vox, sed votum; non cordula musica, sed cor:*

*Non clamans, sed amans cantat in aure Dei.*

Præterea, quo musica est præstantior, eo magis hominum animos ad se allicit, et intentos facit: unde illorum sensus non potest simul Deo et musicæ intendere. Ex his, aliisque similibus videtur posse concludi, musicam ab Ecclesiis exterminari debere. Cum præsertim huic sententiæ Extravagans illa nova ultimam manum imponere videatur: de vita, et honesta clericor. 1. in communibus. Huius tamen opinionis rationes facile diluentur, et Extravagantis sanctionis veritas declarabitur. Paulo itaque altius (si per te licuerit Serenissime Princeps) celebratæ consuetudinis fundamenta subtexam. In novo testamento legitur bis Angelos hymnos cantasse: nato Salvatore, *Gloria in excelsis Deo*, Lucæ cap. 2. eoque resurgente, *Alleluia*; ut in cap. hi duo hymni, de cons. dist. 1: neque vulgariter, sed prout festa gloriosa exposcebant, nempe omni humana musica sublimius. Unde militans Ecclesia, triumphantis exemplo, debet uti ministerio cantorum potiori modo, quo possit. Præterea David cithara, tinnulis ictibus concitata, lyricoque carmine à Saulis vexatione dæmonem arcebat: lib. 1. Regum, cap. 16: quod neutiquam crederem fieri, si voce et cithara incomposite psalleret. Unde in ve-

teri testamento non solum erat usus cantorum in laudem Dei, Esdræ cap. 2; ubi cantores, et cantatrices ducenti numerantur; sed etiam de laudando Deo præceptum; ut in ultimo psalmo, in quo iubemur Deum laudare in tympano et choro, in chordis et organo: quod simplici, incompositaque musica non ita decenter fieret. Et B. Cæciliam legimus, pulsatis organis, ipsam decantasse Domino: *Fiat* (inquiens) *cor meum et corpus meum immaculatum, ut non confundar*. Item musica inter artes liberales connumeratur, quas cum ab Ecclesia non reperiamus prohibitas, cap. si quis artem, 37 dist. nulla ratio est, cur ab Ecclesia cantores exterminentur: quod tantum abest, ut decreta in cap. clericos, 21 distinct. non solum officium cantoris, verum etiam ad Ecclesias triplices musicos pertinere decernant. Cantorem videlicet, succentorem, et concentorem, qui ordinat voces. Igitur si musica esset omnino prophana, vel prohibita, nullus esset delectus istorum cantorum; neque ab Ecclesia Romana, quæ caput est omnium Ecclesiarum, et magistra, reciperentur, tantique nequaquam fierent. Musica enim animum mulcet, mentem erigit, et singulorum operum labores, fati-

ga-

gationemque solatur : lapsos et desperatos revocat, viatores confortat. Affirmare Arabes, fertur, camelos, onera portantes, confortari canentibus ductoribus. Cantus namque delectationem operatur, iracundos mitigat, tristes et anxios lætificat, discordes pacificat, phreneticorum rabiem temperat, vanas cogitationes dissipat, torpentes animos excitat : nunc gravioribus tonis lascivos, furentes, iratos cohibet. Sic David furentem Saullem cithara repressit; præterea Orpheus, Amphion, Pythagoras, Empedocles, Asclepiades concentibus sonis mira quædam facere

consueverunt, suis assuetis modulis fidicinantes. Multa plane de operationibus melodiæ leguntur, quæ, si essent referenda, proprium codicem sibi vendicarent : propterea, ne videar multum à materia discedere, sat erit in laudem musicæ hæc testigisse. <sup>(1)</sup> Ex quibus evidentissime elicitur, optimo iure musicam in Ecclesia Dei esse receptam; nec propter argumenta in contrarium adducta esse respiciendam, quibus sic potest responderi. Et ad primum dico, Hieronymum non improbare simpliciter musicam quæ in Dei laudem potest assurgere, sed eam tragico mo-

(1) Longum nimis esset, dissertationem de musica intertexere : et ad disciplinam ecclesiasticam accomodatius loquendo, dicimus, cantum simplicem Toletanum seu Gregorianum ad divinas laudes in choro persolvendas magis congruere. Nam in Conciliis Generalibus, Provincialibus, et Synodalibus, præcipue in Synodo habita à nostro decessore dignissimo Portocarrero, præcipitur, ut Clerici cantum planum Toletanum addiscant, ad divinum officium peragendum, non vero ut Musicæ artis peritiam adipiscantur, et totum vitæ curriculum in ea intelligenda absument; hoc enim artis Professoribus relinquatur : Cantus igitur simplex vel planus aptior est, et accomodatior, ut divina officia sollempniter peragantur. Nec est inficiandum, Hebræos, populumque Dei usum fuisse instrumentis musicis cithara, decachordo, psalterio, tympanis, organo, symphonia, sambucis, cymbalis, tuba cornea, aliisque, quæ in S. Scriptura passim referuntur : fuisseque peritissimos cantores per choros distributos, et quorundam etiam nomina in ipsis subscriptionibus psalmodiarum et canticorum annotari. Inter quos recensendus est David, psalmodiarum compositor, cantor, et chitaram pulsans, immo ante ipsam Arcam Dei præ gaudio exsiliens, et saltans. Enimvero hæc omnia, ut et alia plurima propter duritiam cordis Hebræorum permissa fuisse, emunctioris naris Expositores animadvertunt : nos autem lege gratiæ emolliti sumus, illamque rusticitatem et duritiam cordis

amisimus. Neque propterea quispiam existimet, velle nos omnem usum musicæ à templis explodere; quæ enim hucusque diximus, intelligenda sunt de musica theatri, voluptati et lasciviæ deservienti, qualis in choreis mundialibus usurpatur : minime vero de illa simplici, quæ cum congruentior sit ad divinas laudes persolvendas, teste clarissimo nostro Ortizio, suavitate et dulcedine, quæ auribus gratissima est, mentem ad Deum erigit, tristitiam moderatur, vanas cogitationes dissipat; ideoque devotionem mirum in modum auget. Quod si non omnes Canonici in choro assistentes hunc cantum simplicem calleant, vocem tamen succentoris et psalmistarum prosequi facile posunt, quod in cantu figurato fieri nequit; tunc enim obmutescunt, et plerumque imaginatione hinc inde vagantur. Cum itaque Canoniarum munus sit canere, prædictum simplicem cantum debent magis adamare, et in festis sollempnioribus succentores maiori gravitate, maiori punctatione, seu pausatione in medietate versus, psalterium et officium persolvere. Sed hæc in gratiam nostri cantus Toletani dicta sufficiant. Utinam elucescat dies, in quo à Cathedralium choris exulent Musici omnes cantus figurati, Uxorati, Castrati, alique id generis, quorum in locum succedant Sacerdotes, qui corde, et ore laudes Deo decantent! Faxit Deus, ut in Ecclesiis quædam instrumenta musicalia amplius non resonent, ea nempe, quæ castris, et theatris magis apta, quam domui Dei sunt.



more in Ecclesiis tripudiantem : ut ex verbis eiusdem Hieronymi recte perpensis colligitur. Nec refragatur huic sententiæ communi Gregorius , qui tunc dicit cantores stimulare Deum, cum ad voluptatem populi tantum, non ad Dei laudem et cultum, vultuosi cantores lasciviunt. Nec potest negari, musicam, quo elegantiore, eo magis placida modulatione mentem sensumque hominis elevare; sed ille mentis excessus in iubilationem tendit : quod si quis in sinistrum vertat, sibi, et non musicæ vitio ascribat, cum intentio præcipua Ecclesiæ sit, iubilare Deo, non solum in organis et aliis instrumentis, verum etiam in cymbalis et vocibus benesonantibus. Quæ non distrahunt sensum, neque intellectum à divinis, ut imponitur ex adverso, sed potius roborant, et confirmant; sicuti cum plura in idem tendunt, fieri nonnumquam solet. Neque musicæ adversari videtur Extravagans, ut eam recte considerantibus liquet, quæ de lasciva tantum musica loquitur; eamque merito reprobatur, cum non in Dei honorem, sed in aurium potius delicias vertatur, ut patet in principio ipsius Extravagantis, dum dicit : *Melodias intersecant, discantibus lubricant, cantilenis vulgaribus nonnumquam inculcant; adeo ut interdum antiphonarii et gradualis fundamenta despiciant, &c.* Quæ aliter etiam intelligi potest, ut prohibeat, in modum tragediæ tantum cantores in Ecclesia gestire. Quin etiam, licet concedamus, Extravagantem supradictam musicam penitus explosisse, ser-

vanda non est, nec eius transgressores aliquibus ligantur pœnis; quandoquidem in usum non fuit recepta. Nam leges instituuntur, cum promulgantur; firmantur vero, cum usu atque consuetudine approbantur: cap. in istis et cap. fin. 4 dist. Idcirco cantores intrepide absque ullo conscientiæ dictamine possunt iubilare Deo; dum tamen populum lasciva, effeminataque modulatione, præcipue ad inanem delectationem, non provocent. Quod si illa vocum inanis elatio, nemini parcens, eis irrepserit (tripudiantibus enim in superbiam, in humilitatem humilibus sensim irrepere tentat), tali antidoto præmuniantur, ut cum ad divinum officium accesserint, sincera et præcipua illorum in Deum dirigatur intentio, à qua, si ut homines discesserint, mortali labe neutiquam afficientur; sicuti contingit famulis Prælatorum servientibus propter beneficia obtinenda: qui, dum non ob illa principaliter famulentur, simoniæ, ambitusve crimine minime notabuntur: cap. quid proderit, 61 dist. et cap. cum essent, de simonia. Illud tamen omni cura et diligentia caveant, ne dum divinis psalmodiis incumbunt, ceterisque sacrosanctis obsequiis, garrulitatibus aut susurris intendant: nam, ut Augustinus ait, bonis operibus insidiatur dæmon.

## CAP. IX.

*De admiranda Virginis descensione in hanc sacram ædem, D. Ildephonso Sacellano suo vestem è cælo afferentis.*

**H**actenus de musica, attinentibus-

bus-

busque ad altaris ministerium tetigisse sufficiat, ut ad tractandum de sollemnitatibus peculiaribus huius almæ Ecclesiæ iam nostra convertatur oratio. Inter quas prima se offert descensio mira Intemeratæ Virginis Mariæ. Quod sic evenisse, à maioribus nostris verissimo relatu, scripturisque authenticis accepimus. Regis Reccesvindi tempore, qui patri Chindasvindo Æra 695 in regno successit, et regnavit 18 annis, cum Helvidii et Pelagii sectatores à Galliis venientes, plerasque Hispaniæ partes infecissent, perpetuam virginitatem Beatæ Mariæ negantes, Præsul Toletanus Beatus Ildephonsus illis occurrens, non segnis in divina militia torpuit: non sibi notam passus est desertoris muri: non denique turpem meditatus fugam, adversariis terga præbuit: quin potius cum hostibus congressus, contrarios ictus, clypeo fidei circumseptus, retudit inclitus præliator; sacrarumque Scripturarum testimoniis, Sanctorumque Patrum auctoritatibus, inviolabilis veritatis armatus eloquiis, eorum hæretica dogmata confutavit, et ab Hispaniis confusos abegit: librumque contra prædictos hæreticos de perpetua Virginitate conscripsit, cuius tale est initium. *O domina mea, dominatrix mea, dominans mihi, mater Domini mei, famula filii tui, genitrix factoris mundi, te rogo, te exoro, te quaeso, habeam spiritum filii tui, habeam spiritum Domini*

(1) In Concilio Toletano XVI. asseritur Sisibertum à sede depulsum propter infidelitatem ac prodicionem adversus Regem, et eius familiam: verisimile autem

*tui, habeam spiritum Redemptoris mei, ut de te vera et digna sapiam, de te vera et digna loquar, de te vera et digna, quæcumque sunt, diligam:* aliaque in hunc modum, quæ pio ac devoto lectori (ut ad institutum properem) æstimanda relinquo. Virgo itaque sacrosancta, non immemor accepti obsequii pii devotique clientis, ab æthere summo descendens, hanc peculiari privilegio suam sanctam ædem suis gressibus, vestigiisque consecravit. Dum enim suavissimis cantuum modulationibus ad decantandum, et ad librum de Virginitate perpetua catholice scriptum legendum, D. Ildephonsus cum clero et populo consurgeret, atque ut vigiliis, quas Deo, et eius Intemeratæ Virgini matri voverat, rite persolveret, ministri præeuntes, cum Ecclesiæ ostia de more aperirent, subito lux magna oculos eorum perstrinxit, quam neutquam ferre valentes, magno timore perculsi, luminariis relictis, pene exanimes fugerunt. Divus vero Ildephonsus, nullo terrore perculsus, cum ad altare (ut moris erat) ad orationem flexis genibus procubuisset, sibi utique bene conscius, circumquaque conspiciens, vidit illam sanctam, immaculatam virginum Reginam, in suggesto sedentem, quod ipse, concionaturus populo, ascendere solebat; quo in loco nullus postea sedere ausus est, præter <sup>(1)</sup> Sisibertum Episcopum, qui propter audaciam admodum est, hominem superbissimum utrumque scelus contra Deum, et Regem perpetrasse.

Ddd da-

admodum est, hominem superbissimum utrumque scelus contra Deum, et Regem perpetrasse.



daciam, nimiamque temeritatem à sede illa eiectus, in exilium est relegatus. Ildephonsus vero, sursum oculos elevans, vidit virginum choros Reginam laudantes, quæ Davidicis modulationibus cantus dulcissimos personabant. Cumque Virgo sanctissima, pariter ac vir sanctus se mutuo intuerentur, ipsa quidem Virgo gloriosa vestem illam pretiosam, quam secum attulit, induit famulum suum, deditque pientissimo ac vigilantissimo Ildephonso, ut ipse solus (ut credere dignum est) in sollemnitatibus illius, ac Redemptoris nostri vestiretur, subiiciens: "Quoniam (inquit) mente pura, fide firma, in meis laudibus permansisti, et in laudem meam diffusam in labiis tuis gratiam tam dulci eloquio in corda fidelium transfudisti, et lumbos tuos virginitalis gratia cingulo castitatis præcinxisti, volo, ut vestimento supercœlesti iam in hac vita orneris, ut in futura in cœlesti beatitudine cum servis filii mei æterna lætitia fruaris." Et hæc dicens, ab oculis eius una cum virginibus, ac luce qua venerat, evanuit, in cœlumque remeavit. Remansit autem servus Dei, de adipiscenda gloria tantum sollicitus, quantum conspicuus extitit veste sibi data divinitus. Hæc ex lectionibus, quæ cantantur in festis Annuntiationis Intactæ Virginis sub nomine Beatæ Mariæ *de la O*, XV. calendas Ianuarii, atque descensionis Virgineæ, IX. calendas Februarii, sub celebritate Pacis, necnon à chronico Reverendissimi D. Roderici lib. 2, cap. 24, ad verbum fere decerpsi. Cæte-

rum Virgo virginum, et sanctarum Sancta (quia intempesta nocte Ildephonso vestem sacram attulisse omnibus nondum innotuerat) voluit per Beatam Leocadium alumnam, tutelaremque Toletanæ civitatis, Rege populoque clara die palam cernentibus, uberiolem gratiam referre. Nam cum in festo Beatæ Leocadiæ Ildephonsus cum Rege Reccesvindo, populi comitante caterva, ad tumulum eidem Virgini consecratum descenderet, continuo sanctus vir prope civis suæ sepulcrum devotissime pronus occubuit, atque in oratione diu suspensus, tandem monumentum sua sponte apertum vidit. O rem multis retro sæculis inauditam! Surrexit ex tumulo virgo Leocadia, quæ iam tercentum annos in Domino obdormierat, sive in corpore proprio, sive extra corpus, non est qui iudicet; et B. Ildephonso appropinquans, quasi dextram dextra apprehendens, sic ait. "O Ildephonse, per te vivit, domina mea, quæ cœli culmina tenet." Stupefacti magnitudine ac novitate rei, silent cuncti. At B. Ildephonsus, illis mirantibus, silentium his vocibus rupit. "Virgo, cœlo digna, quæ terras exosa, mundum pro Christi amore usque ad martyrii cruciatum sprevisisti, quæ te tam sancta tulerunt sæcula, beata fuerunt; sed beatiora nostra tuo visibili conspectu, quæ cum emigraveris, martyrii palma triumphans, ad fidei gloriam, et credentium consolationem miraculo tam insigni apparere dignata es. Converte, quæso, lumina ad hanc urbem tui altricem corporis: pro-

,, te-

„ tege precibus , et intercessionibus cives tuos , pariter et Regem , qui tua templa mira devotione frequentat.” Tandem virgo ad tumulum revertens, lento gradu incedebat. Tum Recesvindus Rex Beatum rogat Ildephonsum , ut aliquid insigne ex virgine acciperet , priusquam ex oculis dilaberetur. Ille , Regis accepto cultro , partem veli , quo virgo amicta erat , incidit , ac Regi, custodi quidem fideli, commisit. Rex vero (quæ eius religio erat) et munus illud cæleste, et cultrum servandum dedit ministris Ecclesiæ ; nefas enim duxit , ad humanos redire usus, quicquid virginis contactu sanctificatum esset. Perpendant nobiles matronæ, virginesque Toletanæ , ac reliquus sexus femineus verba beatæ Leocadiæ dicentis : “Per te Ildephonse , vivit domina mea:” (cuius virginitas, illibata , ut erat, Ildephonsi disputatione, explosa hæreticorum et damnata hæresi, defensa permansit) quanta cura et sollertia debeant famam integram conservare. Femina enim , cum infamatur, quasi inter mortuos potius, quam inter vivos annumeranda, non vivere dicitur. Ex his omnibus pervulgatum est nomen Ildephonsi per universam Hispaniam, tantaque devotio erga Christi fideles excrevit, ut infelix haberetur is, cui Ecclesiam Toletanam visitare non esset in votis. Huic utique sanctæ Basilicæ illud psalmographi, psalmo 131, non indecenter possumus adaptare. *Introibimus (inquit) in tabernaculum eius, et adorabimus in loco, ubi steterunt pedes eius.* Nam etsi per pedes

Apostolos Christi, qui sunt pedes sustentantes totum Ecclesiæ corpus, intelligamus, nihil prohibet, quod ad historiæ veræ gestæ miraculum suo quodam modo propheticum vaticinium accommodemus. Cæterum ad excellentiam privilegiumque huius Basilicæ spectat, quod Hispaniarum Reges à primi diei natalis Domini nostri vespertinis horis usque ad Missam tertii diei peractam, quæ Sancti Ioannis Evangelistæ est, sub certa pœna in hoc sacro templo adesse tenentur. Quin et ipse Romanus Pontifex, nisi eisdem diebus pariter affuerit, simili pœna mulctatur. Quod usque in præsentem diem inviolabiliter custoditur, nec aliunde originem ducere pie existimandum est, quam ex illa cælesti, et per orbem terrarum celeberrima ac vulgatissima Virginis Mariæ descensione. Nam, quamvis sæpius maxima sollertia scrutatus fuerim libros antiquos, illosque, qui archivo huius Ecclesiæ quasi religione quadam servantur, huiusmodi tamen mulctatitiæ pecuniæ, neque ullum principium invenire, neque à senioribus perdiscere potui, quantumvis peritiores interrogaverim. Solum itaque libri vetustiores et calendarium, quod memoriarum dicitur, in quibus hoc mulctatitium statutum indubitanter promulgatum reperitur, hac de re testificantur, quibus in huiuscemodi rebus fides adhibenda est, præsertim cum id ab omnibus usu et consuetudine receptum fuerit. Mirum dictu, relatuque dignum, Christi Vicarios, Romanæ Ecclesiæ Pontifices, Alpes, montesque Pyrenæos transcen-



dendo, in Hispaniam, atque adeo in nostram Ecclesiam, non sub æquinoctia, sed sub hiemem rigidam, Apostolica Sede relicta, statutis diebus se conferre teneri. Quos minime Ecclesiam Toletanam, utpote Romana inferiorem, astringere potuisse, cap. 1, 22 distinct. sed ipsorum Pontificum spontanea devotione in obsequium et memoriam Inviolatæ Virginis descensionis se Regesque Hispaniæ sub præscripta multa astrinxisse, credere fas est. Ob hanc potissimum religionis causam nonnulli Hispaniarum Reges, Henricus huius nominis II. cum Ioanna, Ioannes item I., eius filius cum Leonore, Henricus etiam III. cum Catharina uxoribus in hac sacra Basilica monumenta sibi elegerunt iuxta altare, quod descensionis Deiparæ Virginis dictum est, in Sacello, quo Missarum sollemnia pro eorum requie nuper celebrabantur. Quorum corpora anno 1534, XIV. calendas Iunii, S. C. C. maiestatis parentis tui, Serenissime Princeps, permissu, ac mandato Reverendissimi Cardinalis Ioannis Tabera mihi, tunc temporis eius Vicario, iniuncto, in Sacellum denuo illis erectum, quod recentiorum Regum appellationem obtinet, translata sunt. Nam, ut postea dicitur, aliud Sacellum est, ubi sacra pro Regibus vetustioribus peraguntur. Eadem devotione, existimo, hanc sanctam Ecclesiam Christianissimos Hispaniarum Reges præ ceteris, non munusculis aut vulgaribus donis, sed vasis, ornamentis, insuper castris, oppidis, villis, multisque aliis redditibus, ut posteris suæ devo-

tionis argumentum, exemplumque relinquerent, ditasse. Ob hanc ipsam descensionis causam facile quidem coniectura ducor, nobilissimas olim Ecclesias huius nostræ societatem affectasse, ut nimirum iuris ecclesiastici participes essent, hoc est, precum et divinorum mysteriorum, quibus Ecclesia Toletana excellit, quod multis retro annis initum foedus ad hanc usque nostram ætatem durat. Quænam vero istæ Ecclesiæ sint, quoniam celebre, et scitu dignum est, brevi quidem catalogo accipe. Compostellana, Cæsaraugustana, Pampeleonensis, Seguntina, Oxomensis, et apud Gallos Turonensis. Ambivit hoc ipsum insigne pariter et nobile cœnobium S. Facundi de *Sahagun* vulgo nuncupatum, Ordinis D. Benedicti, quod apud Legionenses in magna est veneratione, neque apud hos solum, sed apud universos Hispaniæ nostræ tractus. Hi omnes, si quando ad Ecclesiam accedunt, et chorum nostrum, vestibus de more Ecclesiæ nostræ induti, ad officium ingrediuntur divinum, si ex dignitatibus Ecclesiæ suæ sint, foederis symbolum duos aureos accipiunt; sin canonici, aut portionarii, unum. Aliud est item nequaquam sub silentio prætereundum, Ecclesiæ Toletanæ sanctimoniam commendans, quod, si quando Principibus nostris prælium aliquod in Mauros committendum erat, ad Toletanam urbem divertentes, Templi nostri sacra visitabant, et accersitis Templi ministris, vexilla sua benedicenda, et aquis lustralibus, ceterisque mysteriis sanctificanda curabant. Unde hæc summa

ma

ma devotio? Nempe non aliunde existimandum reor, quam ex illa admirabili Deiparæ Virginis descensione, quam non tantum vestustorum testimonia, verum tabulæ pictæ, columnæ, parietes Templi intus et foris suis stemmatibus proclamant, atque demonstrant. Idemque palam facit collegium eorum, qui sub nomine confraternitatis Immaculatæ Virginis descensionem quotannis celebrant. In qua antiquitus Rex et Archiepiscopus cum multis urbis Optimatibus solebant esse confratres. Hodie vero prisca illa memoria tantæ maiestatis in populo, et cæreis luminaribus regalibus ornatis insignibus, dumtaxat permanet.

CAP. X.

*De peculiaribus Sanctis, huius almae Ecclesiae urbis, provinciaeque Toletanae patronis.*

Verum post admirabilem Virginis descensionem utcumque præscriptam, de aliorum Sanctorum celebritatibus, quos hæc alma Ecclesia annuatim recolit, etiamsi multa, mirandaque dicerem, omnia certe inferiora censerentur. Nam quemadmodum fluvii in mare intrantes nomen amittunt, ita cum aliquid de exuberantissimo gratiarum pelago Sacrosanctæ Christi Parentis egerim, nomina gestaue Sanctorum impune prætermittere possem. Sed ne videar (quod absurdum fore existimo) nostros huius urbis patronos ac tutelares inofficiosus silentio præterire, pauca ex multis referam; facile enim

lector condonabit, si eorum quoque monumenta referantur, qui Virginem ipsam, et Sanctissimum Filium religiosissimis officiis demeruerunt.

CAP. XI.

*De D. Eugenio, et exordio Fidei orthodoxæ in alma Ecclesia Toletana.*

At primum à D. Eugenio mihi exordiri visum est, quippe qui primus Toleti, eliminata spurcitia idolorum, pia, sancta, et religiosa fidei fundamenta iecit. <sup>(1)</sup> Hic vero fuit discipulus magni Dionysii Areopagitæ, à quo in Hispaniam, ut eam Christo Domino lucrifaceret, ex Arelatensi urbe missus, in nostram ante alias, utpote longe præstantiorem, se contulit civitatem Toletum. Ubi constanter Christum Salvatorem mundi prædicando, dæmones urbem vexantes fugavit, illorumque aras penitus destruxit. Quas in veri Dei religione consecrando, quamplurimis decoravit ministris, qui salutaria fidei documenta fidelibus et catechumenis ministrarent. Postmodum magistri sui Dionysii desiderio captus, ut ab eo ante utriusque obitum consolationem acciperet, et ministerii sui rationem magistro redderet, in Galliam reversus est. Ante vero quam Parisios accederet, in loco nomine Diolo in persecutorum Christiani nominis rabiem, manusque violentas incidit. Qui, cum à tyrannis interrogaretur, cuias esset, Christianum se esse, sponte confessus fuit; perseveransque in veræ catholicæque fi-

(1) Hac de re iam supra à nobis dictum fuit.



fidei confessione, martyrii palmam adeptus est. Cuius corpus, divina revelatione inventum, iuxta magistri sui Dionysii sepulcrum honorifice fuit translatum. Regnante vero Aldefonso VII. (qui, ferme universa Hispania in ditionem suam redacta, Imperatoris sibi nomen vendicavit) Raymundus Archiepiscopus Toletanus ab eodem Aldefonso Imperatore instanter efflagitavit, ut corpus, aut saltem aliquam eius portiunculam D. Eugenii à Ludovico Rege Francorum, qui à Hierosolymis rediens, visitaturus limina B. Iacobi, Compostellam petiit, postularet. Qui Imperatoris precibus devictus, concessit brachium dextrum D. Eugenii. Quod transmissum fideliter per manus cuiusdam Abbatis Sancti Dionysii, summo cum honore susceptum fuit. Imperator namque cum duobus filiis, et cum alio ex Optimatibus, longe ab urbe pedestres ei obviam venientes, arcam humeris humiliter impositam, sanctissimum brachium deferentem, in nostram Ecclesiam detulerunt. Ubi illud sub fideli custodia religiose observatum, auro gemmisque pretiosis munitum, tua celsitudo in huius almæ Ecclesiæ ærario sacro perspexit.

(1) Tres Basilicas in honorem Beatæ Leocadiæ dicatas Toleti fuisse, annotavimus pag. 18. tom. I. quarum descriptionem ibidem fecimus.

(2) Postquam Blasius Ortizius scripsit, Philippus II. Hispaniarum Rex, et Belgii dominus, facultate obtenta à S. Pontifice Gregorio XIII. totum corpus S. Leo-

## CAP. XII.

*De Beata Leocadia.*

Præterea virgo Leocadia, forma honestissima, clarissimisque orta natalibus, Toletana fuit civis; adeoque credentium fidelium in tribulatione refugium, pauperum consolatio, dubitantium firmamentum, sanctorum gaudium, omniumque Christianorum singulare præsidium: ut in carne vivens, cœlesti magis, quam terrena vita frui videretur. Quæ sub Daciano præside tempore Domitiani Imperatoris martyrio coronata est. (1) Huic Divæ Martyri tres in hac urbe dedicatæ sunt Ecclesiæ. Quarum duæ sunt Collegiatæ; tertia vero Parochialis, quæ sicut à maioribus accepti, fuit ædificata in ipsius domo propria. Ex Collegiatis vero, una in carcere, qui à parte meridionali regio capitolio est contiguus, ubi spiritum Altissimo reddidit. Ibi in quadam spelunca, qua vincta servabatur, propriis digitis signaculum Crucis saxo impressit: quod usque adhuc magna religione colitur. Altera extra muros huius civitatis; ubi eius corpus sepulturæ fuit traditum. Felix hæc virgo longo post tempore D. Ildephonso (ut supra commemoravimus) apparuit. (2) Eiusque corpus, etsi per tempora longissima, quo fuerit vectum ex hac urbe, latuerit, tamen ab altissimi Regis Philippi, avi celsitudi-

cadia Toletum transtulit. Archiepiscopus Cameracensis, Abbasque Monasterii S. Gisleni Michaeli Hernandez Societatis Iesu sollemniter tradiderunt, à quo magna cum diligentia in Hispaniam perlatum, atque in Toletana Ecclesia collocatum VI. calendas Maii, anno 1587.

tudinis tuæ, tempore, dum inter Hispanos et Flandros commercium frequentius haberetur, constat B. Leocadiæ corpus in cœnobio ordinis D. Benedicti, nomine Sancti Gislen, alias *Cella*, ad oppidum Monsenhenao in Flandria, magna reverentia et custodia observari. Idque reperi in historia Roderici Antistitis Toletani reposita in huius Ecclesiæ Bibliotheca, lib. 1, cap. de regno Egicæ Regis, in marginea quadam additione manuscripta. Suntque ex Toletanis civibus, quipiam, magnæ utique fidei et auctoritatis, qui se corpus hoc sanctissimum vidisse propriis oculis, dicunt, et affirmant. Qui etiam asseverant Reverendissimum D. Cardinalem Alfonsum Manriquem Præsulem Hispalensem; Toleti ortum, monachos efflagitasse, ut sibi Toletum mittendum corpus B. Leocadiæ condonarent, quod illi, etsi eleemosynam mille ducatorum dictus Præsul offerret, nè sacro illo munere carerent, abnuerunt. Quum vero nec precibus, nec pretio sanctum illud munus impetrari posset, placuit huius Ecclesiæ senatui, ad

(1) In Concilio III. Toletano post Regem Flavium Reccaredum subscripsit, ut antiquior Metropolitanorum, Massona, Ecclesiæ Emeritensis Metropolitanus Episcopus provinciæ Lusitanæ; postea subscripsit Euphemius Ecclesiæ Toletanæ Metropolitanus Episcopus provinciæ Carpetanæ; neque inter Episcopos nomen Helladii invenitur, nec in codice aliquo MS. Hæc itaque coniectura Ortizii caret omni fundamento, cum Helladius sit multo posterior Euphemio in sede Toletana, ut videre est supra in catalogo Præsulum à nobis edito; ex quo colligere licet in historia Roderici pro Euphemio scriptorem posuisse Helladium: non est igitur verum Helladium

Abbatem et monachos dicti monasterii litteras destinare, ut de ipso B. Leocadiæ corpore, quoque id modo, atque tempore ad illos pervenisset, notum idoneo sibi testimonio facere vellent. Missis igitur à nostris litteris anno Domini 1538, atque tandem ab illis acceptis, cum de corporis Leocadiæ translatione forsitan nihil certum apud eos haberetur, quod nostro senatui responderent, narrationem rerum omnium iuxta gloriosæ Leocadiæ martyrium, perinde ut gestæ sunt, duoque officia ad festum eiusdem celebrandum dicto Capitulo miserunt, præmissis ad fidem faciendam quibusdam verbis de huius urbis situ.

CAP. XIII.

*De Beato Helladio.*

Divus præterea (1) Helladius Toletanæ Ecclesiæ fuit Pontifex: de cuius vita et gestis nihil penitus scriptis mandatum reperitur, nisi quod præfuit Concilio III. Toletano, ut refert Rodericus lib. 2, cap. 15, in quo gens Gothica, Ariano dogmate abdicato, Catholicam Fidem subscripsisse præfato Concilio, nedum præfuisse; cum notum sit in ecclesiastica historia illa ætate Metropolitanos sedisse, et subscripsisse ratione antiquitatis consecrationis eorum, non iure Primatus alicuius Ecclesiæ Hispaniarum, aut aliarum. Quod idem fuit decretum in Concilio Tridentino; nam cum Fr. Bartholomæus à Martyribus, Archiepiscopus Bracarensis, præferri vellet in absentia Archiepiscopi Toletani, ut Hispaniarum Primas, ceteris Præsulibus huius Regni, sancitum fuit, ut Metropolitanis sederent, et subscriberent iuxta antiquitatem consecrationis, et similiter Episcopi, ut omnis controversia inter Prælatos amputaretur.



professa est. Propterea forsàn, quod, cum postea Toletum Barbari invaderent, eius memoria fuit deleta, libris abolitis, et exustis, ut in urbium expugnationibus fieri solet; verum subscriptio D. Helladii in actis, et subscriptionibus dicti Concilii non reperitur, sed Euphemii Toletanæ Ecclesiæ Metropolitanæ Episcopi provinciæ Carpetaniæ. Uterque tamen eodem Concilio adesse potuit, gloriosus Helladius in principio, cui à luce migranti Euphemius est suffectus, qui in actis Concilii potuit se subscribere. Quam interpretationem assignavi, ne vitium aut varietas scriptoribus tribueretur.

## CAP. XIII.

*De Beato Ildephonso, et eius corporis inventione.*

Postea in nostra civitate, Ecclesiæque Toletana floruit <sup>(1)</sup> D. Ildephonsus, illustri prosapia, Stephano et Lucia parentibus, genitus, qui humanis præconiis nequam indiget, utpote à Dei genitrice Maria satis superque laudatus, munereque donatus amplissimo. Huius sanctissimi viri corpore sub fidelissima, nec minus tuta custodia, Zamorensis civitas fruitur (ut statim dicetur) in <sup>(2)</sup> Ecclesia parochiali eidem dicata. Vestis autem illi coelitus à Virgine allata, in Ecclesia Ovetensi custoditur in aula, quæ sancta appellatur.

(1) Parentes S. Ildephonsi fuisse Stephanum et Luciam, non audemus affirmare; hæc enim notitia, ut diximus in præfatione ad tom. I. ab auctoribus sæculo XIII. recentioribus manavit. Quod vero S. Præsul Toleti ortus fuerit, hodie

Nullus tamen adhuc <sup>(3)</sup> arcam argenteam, ubi vestis hæc una cum pluribus aliis reliquiis asservatur, reserare audet. Beatus Ildephonsus non solum vita, verbis, et concionibus sacris, oves sibi commissas instituit, verum ex ingenii acutissimi dexteritate, et sinceræ mentis contemplatione, doctrinæ sanctæ volumina, ut posteritati quoque consuleret, pro animarum salute composuit, quorum multa perierunt temporum calamitatibus, et ipsa Maurorum in Hispaniam irruptione. Huius sanctissimi viri, et magnæ eius eruditionis, et doctrinæ meminit Ioannes Tritemius in catalogo scriptorum ecclesiasticorum, seu illustrium virorum, cuius initium sequitur. "Ildephonsus Toletanæ sedis post S. Eugenium Episcopus, vir in divinis Scripturis eruditissimus, et sæcularis quoque litteraturæ non ignarus, metro excellens et prosa, ingenio subtilis, sermone disertus, et super omnes sui temporis Episcopos facundus et eloquens, vita et conversatione Deo dignus, atque sanctissimus. Fuit enim timoris Dei instantia præditus, religione devotus, compunctione profusus, incessu gravis, honestate laudabilis, patientia singularis, disserendi ingenio clarus, sapientia summus. Qui, cum adhuc puer esset, divino spiritu attactus, res mundi parentumque affectiones contemnens, Agaliense monasterium

magis quam tunc nobis persuasum est.

(2) In parœcia S. Petro dicata, non vero ipsi S. Ildephonso.

(3) Ligneam, non argenteam, egomet vidi: intus autem fortasse erit alia argentea.

»rium petiit, monachumque se in  
»eo multis annis decenter exhi-  
»buit. Cœnobium quoque virgi-  
»num in Deibiensi villula constru-  
»xit, quod de parentum suorum  
»opibus dotavit. Abbas deinde ef-  
»fectus Agaliensis cœnobii, mo-  
»nachorum mores exercuit, rem  
»discrevit, vitamque servavit. Prin-  
»cipali post hæc violentia Tole-  
»tum reducitur, atque inibi, post  
»decessoris sui obitum, Pontifex  
»subrogatur. Scripsit multa præ-  
»clara opuscula, de quibus refe-  
»runtur subiecta:

*De Sancta Trinitate, lib. I.*

*De imbecillitate propria, lib. I.*

*De virginitate Sanctæ Mariæ,*  
*lib. I. Domina mea, dominatrix*  
*mea.*

*Annotationes actionis diurnæ,*  
*lib. I.*

*Annotationum in sacramentis.*

*De cognitione baptismi, lib. I.*

*De progressu spiritualis de-*  
*serti, lib. I.*

*Hymnorum diversi generis,*  
*lib. I.*

*Sermones varii, lib. I.*

*Epigrammata multa, lib. I.*

*De Missa quoque, lib. I.*

*Epistolarum ad diversos, lib. I.*

»Cum beatissimus iste Præsul Il-  
»dephonsus librum de virginitate  
»purissimæ Dei genitricis Mariæ  
»ad finem usque compleasset, cui  
»omni studio, quo poterat, sem-  
»per devotissime servire solebat,  
»apparuit ei domina mundi, ipsum

(1) In Concilio Toletano X. cap. 1. sta-  
tutum est, ut festum Incarnationis Ver-  
bi, seu Annuntiationis, ut nos vocamus,  
celebraretur octava die ante Natalem Do-  
mini; quia Patribus Hispanis expediens  
non videbatur, tempore Quadragesimæ  
festa celebrare, sed solum de Domini-

»librum habens in manibus, et  
»gratias agens illi pro tali servitio,  
»quod sibi gratissimum esse affir-  
»mabat. (1) Ille vero cupiens eam  
»altius honorare, constituit, ut  
»celebraretur sollemnitas eius sin-  
»gulis annis octava die ante Nata-  
»lem Domini: quæ sollemnitas  
»iam obtinuit, ut per universam  
»fidelium Ecclesiam in honore Pu-  
»rissimæ Conceptionis illius sexto  
»idus Decembris celebretur. Un-  
»de ei rursus Beata Dei Genitrix  
»apparens, vestimentum sacerdotæ-  
»le, quod nos albam vocamus, et  
»cathedram illi attulit, de quibus  
»multa miranda et gloriosa nar-  
»rantur." Hæc ille. Advertendum  
tamen, quod festum illud, quod  
octava die ante Natalem Domini  
celebrari consuevit, non est in ho-  
norem Conceptionis Beatæ Mariæ  
institutum, scilicet cum ipsa con-  
cepta est in utero matris suæ; sed  
in honorem Annuntiationis, vide-  
licet Incarnationis Verbi Divini:  
quod festum apud nos *de la O*  
dicitur. Nec bis B. Ildephonso sa-  
crosanctam Virginem Mariam ap-  
paruisse, sed semel tantum, le-  
gitur: immo neque cathedram  
attulisse, sed vestem solum; nec  
albam, sed (2) casulam fuisse, pro-  
certo apud nostrates habetur. Præ-  
terea Ecclesia Toletana proprium  
festum Descensionis gloriosissimæ  
Virginis Mariæ nono calendas Fe-  
bruarias sub celebritate Pacis ce-  
lebrat. Cumque D. Ildephonsus  
Eee To-  
cis et Feriis. Ecclesia tamen Toletana  
utramque retinet sollemnitatem.

(2) Indumentum quoddam sacerdotale,  
sive casulam, sive albam, sive alterius  
formæ; nusquam enim vidimus: et Bea-  
ta Virgo dixit S. Ildephonso: "Accipe  
»munusculum de thesauris Filii mei."



Toletanam Ecclesiam novem annos, et duos menses prudentissime, religiosissimeque gubernasset, regni Reccesvindi Regis duodevigesimo anno naturæ concessit X. calendas Februarii, et iuxta sepulcrum Leocadiæ virginis et martyris sepulturæ corpus eius mandatum. Ad cuius postea tumulum multa miracula claruerunt, anima eius beatissima divina visione fruente, ubi cum Christo regnat in sæcula. Eadem ferme volumina, quæ à præcitato auctore relata sunt, habentur in octavis D. Ildephonsi, quæ ne fastidium ingererem, repetere nolui. Exigentibus autem hominum peccatis, cum Hispania ferme universa ab Arabibus subacta esset, et magna pars ferro atque igne populata, Astures dumtaxat, Pyrenæi montis inaccessibleia quædam loca incolentes, Christi nomen atque religionem servaverunt. Ad hos ergo victi, quibus mens læva non fuit, de singulis partibus confluxere. Quorum plerique reliquias, et sacratissima quæque ex propriis Ecclesiis in ea loca deportarunt: inter quæ Christiani cum multis reliquiis, quibus Toletana civitas locupletissima erat, vestem illam sacratissimam, qua Dei Mater B. Ildephonsum decoraverat, in urbem Ovetum, Asturiarum caput, detulerunt. Ferebatur et illuc corpus beatissimi Ildephonsi, sed forte apud Zamoram deportatores præpediti, in Ecclesia S. Petri loco abditissimo illud reposuerunt. Crescente vero in dies clade, etiam Zamora barbaris cessit. Quocirca sublata est hominibus illis rursus resumendi copia sequestratum pi-

gnus. Transierunt autem post hæc tempora multa, et quoniam frequentari deinceps à fidelibus non potuit, res excidit memoria. Postquam, Deo miserante, opera piorum Regum Castellæ Christo regnum paulatim restitui cœpit, Zamora quoque in Christianorum ditionem rediit. Pastor ex Toletanis oris in eam urbem cum venisset, pauper habitu, sed dives sanctitate; ingressus templum B. Petri, oratione facta, cœpit singula circumlustrare, curiosius inspicere: quem furtum ædituis moliri arbitrantibus, dixit se non esse furem, nec aliquid mali facturum venisse; sed velle habere copiam alicuius Sacerdotis, atque Deum timentis, cui grande secretum manifestaturus erat. His auditis, ductus est ad quemdam Didacum, Sacerdotem gravissimum, coram quo genibus provolutus, cœpit, quasi peccata sua confitens, huiuscemodi visionem enarrare: "Pater mi, "vidi, inquam, raptus in spiritu "in patria mea, Pontificem quemdam, vultu decorum, incessu "gravem, et omni corporis ornatu "gloriosum, qui sua admodum "melliflua voce me allocutus, ait: "Ego sum Ildephonsus, quondam "Toletanæ urbis Antistes, veni, "sequere me: quem secutus, visus "sum in hanc urbem pervenisse, "et in hac Ecclesiam intrare; ubi "quum essemus, Hic, inquit, et "designavit digito locum, hic corpus meum absque honore iacet. "Animadvertite fili, ne in manifesta virtute Dei ulla te ignavia teneat, Dei enim verbum est, quod non tam ex me, quam ipso iubente impero: quibus di-

»ctis

»ctis evanuit. Ipse ad me rever-  
 »sus, domo et familia relicta, in  
 »hanc urbem et Ecclesiam venio,  
 »quibus omnia signa, quæ in spi-  
 »ritu cognovi, inesse video. Ha-  
 »bes iam, pater optime, causam  
 »mei adventus." Didacus au-  
 tem ille, ut erat gravis, et ti-  
 moratus vir, Ecclesiæ Capitulum  
 cum nonnullis laicis prudentibus  
 congregavit, rectaque ibidem agi-  
 tata omnium sententia fuit, ad  
 unius peregrini, atque hominis  
 ignoti dictum nihil esse tentan-  
 dum. Exiit nihilominus sermo in  
 aures hominum, et si creditum à  
 multis fuit, nullum tamen peri-  
 culum factum est. Regnante autem  
 postea Ildephonso, huius nomi-  
 nis octavo Rege Hispaniæ, quum  
 Assuerus Ecclesiæ Zamoranæ Præ-  
 sul illam Beati Petri ædem ampli-  
 are vellet, et pro iaciendis colu-  
 mnarum fundamentis, terra altius  
 foderetur; forte in loco, quem  
 pastor designaverat, sarcophagum  
 ostenditur marmore opertum, quod  
 incautis ictibus fossores confre-  
 gerunt. Erant in illo reliquiæ hu-  
 mani corporis suavissimum quem-  
 dam, supra quam dici potest, spi-  
 rantes odorem, quo tota terra ad-  
 iacens videbatur perfusa: tunc ve-  
 ro quæ à pastore relata fuerant,  
 in memoriam venerunt. Erat etiam  
 super marmore epitaphium inscul-  
 ptum; sed quia fossorum inad-  
 vertentia comminutum est, coad-  
 unatis quidem partibus, quantum  
 humano ingenio, atque labore fie-  
 ri potuit, hoc tantum lectum est:  
*Patris Ildefonsi Archipræsulis  
 Toletani.* Roborata est denique fi-  
 des maxime ex miraculis, quæ,  
 Sancto Confessore invocato, facta

sunt. Episcopus cum clero, atque  
 universa civitas gaudentes, et exul-  
 tantes, Zamora tanto munere di-  
 tata, iuxta altare B. Petri in ea-  
 dem Ecclesia illud condiderunt,  
 ubi innumerata miracula quotidie  
 fiunt: quæ omnia frater Ioannes  
 Ægidius Zamoranus ordinis Mi-  
 norum, vir apprime eruditus,  
 usque ad sua tempora quam dili-  
 gentissime descripsit. Quum hoc  
 sacratissimum corpus multis annis  
 in loco abditissimo repositum es-  
 set, paucis sub sacramento astri-  
 ctis illud dumtaxat scientibus, an-  
 no Domini millesimo quadrin-  
 gesimo in hoc inventionis die  
 ex eo loco eductum, supra altare  
 ipsius maximum ponitur, cun-  
 ctisque ostensum est, ubi mira-  
 cula multa denuo visa sunt: muti  
 loquebantur, varii infirmi cura-  
 bantur: frequentes turbæ undi-  
 que ad has sanctas reliquias vene-  
 randas confluerunt. Tandem post  
 dies octo in Sacello, quod est su-  
 pra ipsum altare, intra capsam  
 magnam argenteam deauratam in-  
 clusum, honorifice ponitur, ubi  
 à cunctis cernitur. Hæc habentur  
 in historia, quæ legitur de corpo-  
 ris B. Ildephonsi revelatione in Ec-  
 clesia Zamorensi.

CAP. XV.

*De Beato Iuliano.*

Divus deinde Iulianus huius Ec-  
 clesiæ Archiepiscopus, qui tertius  
 à B. Ildephonso in Ecclesia Tole-  
 tana successit, productus, ut Ro-  
 dericus lib. 3, cap. 12, ait, ex  
 traduce Iudæorum ut flores rosa-  
 rum inter spinarum vepres, omni-  
 bus mundi partibus ob Christi



doctrinam innotuit. Qui etiam à parentibus Christianis progenitus, splendide in omni prudentia Toleti manebat edoctus, ubi et postmodum Episcopatu extitit decoratus. Et rursus idem D. Rodericus, eiusdem lib. cap. 13, de Concilio XV. Toletano loquens, de S. Iuliano mentionem facit. "Eius (inquit) in tempore librum de (1) tribus substantiis, quem dudum Romam miserat Primas sanctissimus Iulianus, et minus caute tractando, Benedictus Papa indixerat reprobandum ob id, quod voluntas genuit voluntatem, S. Iulianus veridicis testimoniis in hoc Concilio, ad executionem Ægicæ Regis, per oracula eorum, quæ Romam transmiserat, verum esse firmavit, et apologeticum fecit; et Romam misit per suos legatos, presbyterum, diaconum, et subdiaconum, viros eruditissimos, et in omnibus Dei servos, et divinis Scripturis imbutos, cum versibus etiam acclamatoriis, secundum quod et olim transmiserat de laude Romani Imperatoris. Quod Roma digne, et pie recipiens, cunctis legendum indixit, atque Imperator acclamando, *Laus tua Deus in fines*

(1) De Iuliani doctrina trium substantiarum in Christo Domino, et aliis de rebus ad eundem S. Episcopum spectantibus, verba fecimus in notis ad eius vitam in tom. II. Videnda vero sunt, quæ Petavius insignis Theologus lib. 6. de Trinitate cap. 10. opportune affert.

(2) Petrus natione Gallus, Bituricensis, monachus ordinis S. Benedicti, una cum aliis præstantissimis viris eiusdem ordinis è Gallia adductus est à D. Bernardo Archiepiscopo Toletano eiusdem instituti, et nationis, qui priusquam ad Archiepiscopatum Toletanum fuisset evectus, Ab-

*nterræ*, lectum sæpius notum fecit, qui et rescriptum domino Iuliano per supradictos legatos cum gratiarum actione, et cum honore remisit, et omnia quæcumque scripsit, iusta et pia esse asseruit." Eius etiam meminit Magister sententiarum lib. 4, distinct. 44. Illius extat liber inscriptus *prognosticon futuri sæculi*, tres continens tractatus: primus quidem agit de morte, et transitu ex hoc sæculo; alter vero de receptaculis animarum post mortem: ultimus autem de resurrectione Sanctorum, et extremo iudicio. Scripsit et alios libros *de sancta virginitate, de vitiis et virtutibus, de natura animæ, de contemptu mundi, epistolarum* item volumen *ad diversos*; ut refert Ioannes Tritemius in catalogo ecclesiasticorum scriptorum. Fuit B. Iulianus sacris litteris abunde eruditus: claruit sub Heraclio Imperatore, non sub Marciano, ut Tritemius scribit.

#### CAP. XVI.

*De Beato Petro, Archidiacono Toletano.*

(2) Petrus Oxomensis Ildephonsi sexti Regis tempore sub Bernar-

do batiam S. Facundi in Regno Legionis regebat; cum enim clarissimus hic vir, scientia et virtute præditus, à Rege Alfonso IV. Præsul Toletanus nominatus, videret Hispaniam ab Arabibus depopulatam, clericosque ritus Muzarabici, qui sub illorum ditione degebant, plerumque ignaros, et inhabiles esse; ad restituendum antiquum Ecclesiæ Toletanæ, et ceterarum Cathedralium splendorem, Regi Alfonso consilium dedit, ut è Galliis viri doctissimi Ordinis S. Benedicti evocarentur ad cultum divinum Toleti peragendum, et ut ex eis eligerentur Præsules

ad

do Præsule Ecclesiæ Toletanæ Archidiaconatum obtinuit. Qui postea creatus Oxomæ Antistes, eius Ecclesiam, quæ per Sarracenos iam diu populata, proiectaque iacebat, à fundamentis construxit. Atque humilitatis suffultus prærogativa, hominum mores reformavit, animarumque lucra ingenti cura quæsivit: qui ab Ecclesia Toletana non parva veneratione colitur. O felix Carpetania, tantis tamque illustribus decorata patronis! felicior Toletana civitas, quæ tam egregios viros alere meruit! felicissima Ecclesia, Christi Matris ac tantorum Heroum sedes et habitaculum, quasique terreus quidam paradisu!

CAP. XVII.

*De ornatu ac venustate altaris chorique maioris.*

Iam altare ipsum, in quo unigenitus Dei Filius æterno Patri pro salute humani generis quotidie victimatur, perquam sublime, multoque aliis quotquot alibi sunt (quod sciam) excellentius, è iaspide constructum, stemmatibus enim nostræ redemptionis insignitum, ornatur longo ordine imaginum adeo nativos vultus exprimentium, ut eis præter spiraculum vitæ nihil deesse videatur. Sursum vero medium tenet locum effigies gloriosæ Virginis, argentea veste amicta, quam plurimorum imagines Sanctorum circumstant: quorum nomina singulatim referre super-

vacuum duxi. Hoc tamen non omittam, adeo ad vivum effictas esse, ut à Phidia elaboratas antiquus censor esse contenderet, id quod nunc antiquarius facile iudicabit. Celeberrimi itaque huius operis perfectionem, cum ad unguem exprimere nequeam (quæ eius est amplitudo singularis), exemplo Timantis, ut ille Agamemnonis vultum, ego has effigies silentii velo contegam. Dextra lævaque vetustiorum Regum deaurata monumenta altare circumdant. Dextram occupant partem Imperator Aldefonsus VII, necnon Sanctius Rex eius filius, cognomento Desideratus. Sinistram vero Sanctius Rex, cognomento Ferox, et Petrus Infans filius Aldefonsi Regis, qui dicitur Guadalafaiaræ accipitris vulnere occisus. Quæ quidem monumenta singulis Dominicis diebus, antea quam populus, qui de more congregatur, aquis lustralibus expiatur, à Sacerdote, ei rei præfecto, aquis eisdem prius asperguntur: satis digna, et religiosa memoria; æquum est enim, ut defunctorum manes, et reliquiæ, sed præsertim Regum, et Principum, quovis honore et pietate condecorentur. Verum propter dignitatem, debitamque huic altari reverentiam, nemini ibidem sacrificia offerre conceditur, præterquam Prælati, aut, dum ipsi non celebrant, Canonicis Toletanis. Ad hanc aram non cuivis patet accessus, sed tantum ministris altaris, ut in cap. i. de vita

et

ad regendas alias Ecclesias: quod ita accidit. Nam Petrus, Archidiaconus Toletanus, fuit ad Ecclesiam Oxomensem Episcopus electus: S. Giraldus ad Ecclesiam

Bracarensem: Bernardus ad Ecclesiam Seguntinam: alii ad alias Ecclesias; ita ut statim ac expugnabantur urbes ab Alfonso VI. illico Præsules præficiabantur.



et honestate clericorum: ideoque deauratis clauditur brevibus cancellis apprimè è ferro factis, sexto gradu à sacro altari, et quarto à pavimento iaspideo distantibus, quo viri ad divina solent convenire: eosque à feminis separant ingentes, mirumque in modum editiores clathri, super quos Christi Redemptoris nostri in Crucis ligno pendentis imposita est imago. De quorum artificio, et operosis cælaturis, simul et de his quibus chorus beneficiariorum clauditur, paulo post privatim dicetur. Duo suggesta utrimque cancellis adhærent, suffulta validis columnis è iaspide variegatis. Quo etiam iaspideo lapide, candido marmore variante, omnes dicti gradus simul cum pavimento sunt strati. Huius sacri altaris absides ac testudo auro linitæ præfulgent. Lampas argentea magni ponderis, in medio pendens, perpetuam flammam observat. Quæ suffecta fuit loco alterius amplissimæ, quam Rex ille Aragonum Ferdinandus, tritavus tuus, post expugnationem urbis, quæ vocatur *Antequera*, antequam ad regnum Aragonum capessendum proficisceretur, D. Ioanne fratris filio in regna Ca-

stellæ et Legionis collocato, Ecclesiæ donavit. Quæ postea bellis illis civilibus (quæ vulgo *Comunidades*) sub initium imperii invictissimi Cæsaris nostri Caroli V. subortis, pecuniæ usibus subservivit. Lampadi huius chori olim quidam nobiles genere, sed fide et religione nobiliores, cupientes terrena in cœlestia, et transitoria in æterna, felici commercio commutare, tria oppida reliquerunt: duo in Episcopatu Secontino, Utrilla et Almalues, tertiumque in Episcopatu Palentino, Villumbrales nuncupata. Quæ oppida nostro Hispano sermone *de la lámpara de Santa María de Toledo* dicuntur. Sinistrum huius chori latus cancellis ferreis oclusum est, lapideis columnis iniectis: dextrum vero duabus, eisdemque humilibus, patet ianuis, quarum medio superne iacet Petrus ille Gundisalvus Mendozius Cardinalis Hispaniæ tituli Sanctæ Crucis in Hierusalem, Patriarcha Alexandrinus, Archiepiscopus Toletanus, Episcopus Secontinus, Abbas Pintianus, qui et Vallisoletanus dicitur, in eodem dextro chori pariete marmoreo conditus sepulcro, cuius hoc est epitaphium:

*Cardineo quondam Petrus lustratus honore*

*Dormit in hoc saxo, nomine qui vigilat.*

*Obiit autem anno salutis 1495, tertio idus Ianuarii.*

Et quamvis magnificus sumptus sepulturæ magis sit solatium vivorum, quam defunctorum subsidium, ut inquit Gregorius in cap. animæ defunctorum 13, q.2, iure tamen conceditur Prælati pro magnificandis propriis sepulturis, cen-

tissimam partem census Ecclesiæ, cui præfuerunt, elargiri, ut in cap. ad apostolicæ de donationibus. Mirum profecto videretur virum hunc, quantumvis illustrem, tam honorifico et sublimi loco prope Regum monumenta sepeliri, nisi adeo

adeo

adeo de hac Ecclesia, universaque Republica Christiana benemeritus, admodumque Catholicis Regibus dilectus fuisset. Qualis vita huius amplissimi Præsulis fuerit, morte mirabili et placida comprobatum est. Die enim obitus supra eius palatium in urbe Guadal-faiara crux alba longior quadraginta cubitis, aere pendens, vidente populo, apparuit. Quod miraculum ipsi Cardinali, iam iam ab hac luce migraturo, cum renunciaretur, iussit continuo Missam de Cruce coram se celebrari. Qua audita, animam Creatori suo tradidit. Nec mirum huius illustrissimi viri vitam tam insigni finiri miraculo, qui, cum in humanis ageret, pro Crucis honore et devotione multa insignia et præclara gessit opera: hospitale enim in hac inclita urbe Sanctæ Cruci dicatum post obitum suum construendum mandavit: construxit etiam collegium Vallisoleti eiusdem et dedicationis et nominis: refecit præterea Basilicam Urbis tituli Sanctæ Crucis in Hierusalem; et in quadam eius abside loco abditissimo titulus superscriptionis salutiferæ Crucis, in qua Christus Servator noster pro humana salute pependit, litteris Græcis, Latinis, et Hebraicis Pilati iussu et imperio scriptus, repertus fuit, qui magna veneratione, et custodia in eadem asservatur Ecclesia. Titulus etiam cardinalitii honoris, quo extitit condecoratus, fuit Sanctæ Crucis in Hierusalem. Obiit tandem hic Præsul immortalis memoriæ Cardinalis ex illustri Mendoziorum familia die veneris, qui etiam Cruci dedicatur; cui viro, cum semper ipse fuisset

summo studio et religione pretiosæ Crucis cultor, et venerator, in extremo vitæ Deus Maximus, remunerator optimus, arrham adipiscendæ gloriæ Crucis miraculo (ut diximus) tradidit. Munitur exterius huius Basilicæ altaris ambitus albo lapide effigiatis quamplurimis eiusdem materiæ imaginibus, à Christi videlicet incarnatione usque ad lotionem pedum Apostolorum, Historiam Evangelicam demonstrantibus. Inter quas à tergo (ut sic dixerim) chori media est coronatio gloriosæ Virginis graphice depicta. Chorus hic semotus est sexaginta sex pedum spatio ab extremitate Ecclesiæ orientem versus.

#### CAP. XVIII.

##### *De choro beneficiatorum.*

Chorus deinde alter, quem beneficiatorum possumus appellare, ubi assiduæ horæ canonicæ decantantur, è regione est. Quis autem illius maximam amplitudinem non miretur? Cuius interiorum exterioremque ambitum nec Vitruvius ipse describeret, cum materiam opus superet sumptuosissimum. At ne videar (quod turpe esset) pedem referre, aliquid de huius loci maiestate pro virili subnectere non gravabor. Continet quippe non longe post cancellos, quibus clerus à promiscua turba distinguitur, altare Deiparæ Virginis dedicatum, iuxta quod duo cerea magna funalia officiis divinis præbent lucem perennem. Imminet etiam non longius lampas noctu diuque iugiter ardens. In hoc altari singulis diebus horæ primæ canonicæ Missa subiungitur, quæ vul-



vulgo *de Prima* dicitur : demptis tamen sollemnibus , quibus iure prohibitum est , Deo peculiaria sacrificia publice offerre , ne populus ab audienda re divina , festiuis diebus præscripta, abstrahatur. Sunt circumcirca bini sedilium ordines, omnibus sane numeris absoluti. Communis omnibus materia est ex aridissima nuce. Sublimiores vero sedes fulva è iaspide distinctæ sunt columnellis : patrum veteris testamenti effigies ex alabastro candidissimo, genealogiam videlicet Christi secundum carnem exprimentes , adamussim sculptas superne continent. Singuli autem (ut sic dixerim) stalli altiores singulas ex eodem limpidissimo alabastro sortiuntur parvas testudines , singulis botris aureis intrinsecus lacunantes. Horum superiorum sedilium extrema quibusdam titulis utrimque clauduntur. Dextrum quidem huiusmodi tenet. *An. Sal. MDXLIII. S. D. N. Paulo III. P. M. Imp. Carolo V. Aug. Rege. ill. Card. Io. Tavera V. Antis. subselliis suprema manus imposita Didaco Lup. Ayala, vica. præf. fabricæ.* Sinistrum vero hunc : *Signatum marmorea , tum lignea cælavere , hinc Philippus Burgundio , ex adversum Berruguetus Hispanus : certarunt tunc artificum ingenia , certabunt semper spectatorum iudicia.* Quoniam tamen alter ex his artificibus Philippus videlicet Burgundio , dum hæc elaborabantur , fati concessit, fortuna sua nimirum cavente , ne post tam egregium et insigne opus inferius aliquid animo conciperet , Capitulum nostrum be-

nevolentia testimonium lapidem marmoreum benemerenti posuit. Is à tergo chori iuxta altare Virgineæ descensionis est epitaphio elegantissimo inscriptus , quod ea de causa apponere placuit, ne sit, quod iure lector desideret. *Philippus Burgundio statuaris , qui , ut manu sanctorum effigies, ita mores animo exprimebat : subselliis chori struendis intentus , opere pene absoluto, immoritur.* Demum parietum fastigia versicolore iaspide teguntur , ad quæ per latitudinem ipsorum parietum à lateribus est ascensus duarum se invicem spectantium ianuarum, quæ tamen sedilium ordinem non interrumpunt. Inferior vero subselliorum series bellum Granatense cælaturis sane nativis refert. Media est, ceterisque omnibus excelsior, cathedra pontificalis auratis suffulta columnis : quam augustiorem reddit imago Salvatoris nostri , in monte Tabor se transfigurantis, ex alabastro nitidissimo, niveque candidiore, summa arte fabricata. Adstant ibidem Moyses et Helias quasi cum eo loquentes, atque Apostoli Petrus , Ioannes, et Iacobus præ nimio inopinatoque splendore, voceque è cælo repente delapsa, stupefacti ac paventes. Ornata est etiam hæc sedes introrsus signo ex eodem alabastro Almæ Virginis, B. Ildephonsi sum coelesti chlamyde induentis, idque circulari limbo deaurato ipsam imaginem ambiente. Ad eam vero sedem privatis gradibus fit ascensus, quibus nemini licet scandere , præterquam Archiepiscopo , et Decano , necnon Toletano Archidiacono. Dignus pro-

profecto locus, in quo Archipræ-  
 sul, Hispaniarum Primas, utrimque  
 dignitatum antesignanorum, ca-  
 nonicorum, portionariorum, alio-  
 rumque beneficiatorum magna ca-  
 terva circunseptus, sublimior cun-  
 ctis, medius præsidet, ut iure cau-  
 tum est in cap. Episcopus el. 2,  
 dist. 95. Ad cuius dexteram pri-  
 mum tenet locum Archidiaconus  
 Toletanus, quem iura canonica  
 Episcopi oculum appellant, præ-  
 cipue textus in cap. ad hæc, de of-  
 ficio Archidiaconi. Secundum vero  
 Archidiaconus Talabricensis, ter-  
 tium Cantor sive Præcentor, ut  
 cap. cleros circa finem, 21 dist.  
 quem mesochorum, seu capischo-  
 lium, vel primicerium appellant,  
 cap. perlectis, §. ad primicerium,  
 dist. 25. Thesaurarius, sacri ærarii  
 claviger, quartum, Archidiaconus  
 Oretanus, sive Calatravensis, quin-  
 tum, Abbas Sanctæ Leocadiæ  
 sextum, Vicarius civitatis septi-  
 mum. Ad sinistram vero primus  
 sedet Decanus, qui in absentia  
 Prælati tam in choro quam in ca-  
 pitulari congregatione præsidet  
 omnibus: secundus deinde sedet  
 Archidiaconus, quem Mantuanum,  
 aut Madridium appellant, tertius  
 Scholasticus Toletanus scholarum  
 præfectus, quartus Archidiaconus  
 Guadalaiarius, quintus Archidia-  
 conus Alcaracensis, sextus Abbas  
 Sancti Vincentii: septimus denique  
 sedet sacellanorum (quem vulgus  
 Capellanum maiorem appellat)  
 præpositus. Sequuntur deinde ca-  
 nonici quadraginta numero, ordi-  
 ne, prout quisque in præbenda ob-  
 tinenda præcessit, in altioribus sub-  
 selliis consedentes. Ad quæ binis  
 utrimque scalis conscenditur: illis

quidem quæ penitus ab aditu re-  
 cedunt, antiquiores canonici gra-  
 diuntur; his vero, quæ magis ad  
 aditum appropinquant, iuniores  
 recentioresque canonici; omnesque  
 item portionarii numero quinquaginta  
 conscendunt. Viginti præ-  
 terea canonici, qui extravagantes  
 cognominantur, et quadraginta se-  
 ptem capellani inferiores sedes  
 occupant. Sunt etiam quattuor le-  
 ctors (de quorum officio, cap. le-  
 ctor. 23 dist.) et acolitus unus  
 mancipatus ad accendendos Eccle-  
 siæ cereos, ut in cap. acolitus, ea-  
 dem dist. alius itidem, qui curam  
 habet aperiendi claudendique li-  
 bros, quibus in choro cantatur.  
 Quadraginta etiam clericuli stipen-  
 diarii, quos dicunt sacrificulos: ex  
 quibus sunt sex electi ad musi-  
 cam, qui nomen à numero sor-  
 tientes, Seises appellantur; ultra  
 quos multi alii deserviunt gratis,  
 ut ritum ecclesiasticum doceantur:  
 qui tamen in emigrantium locum  
 aut alio digredientium ordine an-  
 tiquitatis sufficiuntur. Clericelli  
 autem à choro discedentes, eius-  
 dem antiquitatis iure, Capituli  
 approbatione in collegium Sanctæ  
 Catharinæ cooptantur, grammaticis  
 rudimentis instituendi, ceterisque  
 omnibus, quæ ad latini sermonis,  
 et liberalium doctrinarum cogni-  
 tionem necessaria sunt. Liberum  
 est tamen eiusdem collegii patro-  
 no in quibusdam certis, quem li-  
 buerit, citra ullum antiquitatis ius  
 in deficientis locum subrogare. Hu-  
 ius vero collegii erectio (quod non  
 mediocre ornamentum urbi huic  
 Toletanæ attulit) opus est Fran-  
 cisci Alvarez Zapata Scholastici  
 Toletani, canonici, et apostolici



protonotarii, viri et prudentia, et morum honestate, et splendore litterarum clari: de cuius virtutibus et gestis si in præsentia esset agendum, integrum aliquod volumen exararetur, neque obiter aut perfunctorie tractandum esset; sed præstent illi hoc officium collegii eius incolæ, quibus et otium et facultas maior suppetit: nec patiantur viri dignissimi, et de eis ac urbe nostra tam multipliciter benemeriti, memoriam in tenebris delitescere. Sed iam ad rem. Super utrumque huius chori latus flactilis musicæ organa et instrumenta quædam musicæ (quæ choros vocant) collocantur. In dextro latere chori statua armata Didaci Lupi de Haro domini Vasconum, antonomastice inter Proceres Castellæ Boni nuncupati, flexis genibus Deum videtur orare, qui inter alia elargitus est cereum diu noctuque, dum horæ canonicæ dicuntur, ardentem. Est præterea in medio chori erecta magna quædam æneæ aquilæ effigies, alis expansis librorum pluteum dorso efficiens, sustinensque librum, in quo orationes, prophetias, lectionesque Sacerdotes et ministri concinunt, ad quam quinque gradibus ligneis ascendunt. (1) Huic adiacent ex utroque latere aliquantulum semotæ binæ aquilæ ligneæ, duo plutea facientes; quæ singulis chori partibus præstant, ut psallentium magna volumina teneant. Totus hic chorus extrinsecus superne historiis à mundi primordio usque ad legis datio-

nem Moysi gesta referentibus undique cingitur, auratisque hinc inde distinctus lineis, longe nitet. Eius vero pavementum marmore cooperitur, distatque à tribus portis occidentalibus centum triginta pedes, à choro vero altaris maioris quadraginta duos. Quod intervallum, albo nigroque lapide quadrato in modum tabulæ latrunculariæ stratum, femineus sexus, ut horis divinis assisteret, sibi vendicavit; ubi septem lampades semper ardent.

## CAP. XIX.

*Descriptio clathri, qui est ante chorum Eucharistiæ.*

Quoniam oportet promittentem memorem esse, ante quam ab hoc loco discedamus, utriusque chori clathri nobis describendi sunt. Cum enim ex prisca materia et opificio rudes olim, et squalore rubigineque obsiti haberentur, placuit hoc ipso tempore Ecclesiæ nostræ Præsuli et proceribus in meliorem faciem mutare, qualis à me primitus nunc exprimetur. Ubi si operis difficultate victus fuero, nemini mirum videri debet; res est enim laboris plena, et quæ virum in architectura peritissimum requirit. In porticu ergo sive ambulatione maxima huius sanctæ Ecclesiæ clathrus est, qui augustissimum Sacellum à quadrivalli structura, seu quadrivio camerarum, arcuatorumque porticum dividit. Ferro mixturaque cupri et orichalci constant cancel-

(1) In locum horum pluteorum ligneorum alia ærea deaurata, laminis æreis

deauratis, et stamneis columnis imposita, suffectaque fuere.

celli, metallis miranda inter se statutis impagine. Qui eo quod impendio, atque eleganti specie non cedant alicui operi, atque fere omnium opinione sint opus optime diffinitum, rectissimeque absolutum omnium (si des paria) in Christi urbibus erectorum, non abs re duxi, singulatim de eorum ordinatione agere. Clatrus ergo (altissime Princeps) à pavimento quadrivallis structuræ attollitur podio ex variegata iaspide, dodrantis altitudine, quod socco totius operis pro stereobata est. Huius socci extrema, transversaque, de prædicta sunt iaspide; media de marmore albo, ad rationem doricam omnia perfecta, si altitudinem, latitudinem, sive longitudinem spectes. Ecphoras habet et proiecturas soccus ad omnia membra ex se producenda, quibus ex hac et illa ostii parte, quod in medio ad usum Sacelli relinquitur, bina et semis redduntur intercolumnia; quod si id, quod portæ spatio conficitur, numeres, erunt universa sex. Huius (quod appellamus transtrum) dispositio sic habet. Imo huius socci (ut discernantur intercolumnia) exprimuntur stylobatæ atticurgi sex iaspei, sesquipedali altitudine, crassitudineque debita. Procurrit super summos cymatium proiecturis item expressum. Media inter iaspidis tæniæ (ut dixi) marmorea sunt, cælata, munitaque orichalco igne inaurato. Signa in marmore cuprea aliquantulum quidem crassiora sunt, ut genus exigit doricum; ornatus tamen crassitudinem occultit. Illud de cælatura: tali tamquam simplici distributione obtegi omnia,

ut ex unica et continua materia universa deducta videri possint. Ad libramentum sex stylobatarum (quos in transtro locavimus) consurgunt columnæ sex ferreæ, necnon et orichalceæ, doricæ identidem, et aliquantulum ad compositum genus accedentes, quadratæ hæ, ac unaquæque tetrautorum facies anconibus et sculpturis ad atticurges Vitruvii declinat. Quarum nec universarum, neque singulorum tetrautorum opus perstringere animus est, ne nimis longo sermone pariam tuæ celsitudini fastidium. Unum hoc: argentum subtilius signatum nunquam, quam nostræ sunt atticurgæ. Accipiunt vice capitulorum, vel deducuntur hæ sex columnæ ad sex humanas statuas, nomine terminos: orichalcei hi, femoribus tenuis facti, ut quondam in desertorum vel montuosorum triviis locabatur in pila Mercurius: iusta pæne sunt crassitudine, altitudine quattuor pedum et semis, integri sine iuncturis, cavi, semel fusi. Hos maximi faciunt architecti, quod adeo absolutis vultibus sint, brachiis, renudatisque membris (dicam?) ac natura rerum effinxisset. Columnæ totæ undenos singulæ altæ pedes sunt, quibus imponitur ionici capituli cymatium, quod sequuntur epistylum, zophorus, corona, quæ membra examussatim perfici non potuere ad exactionem doricam; quia si rata altitudine, prout columnæ, constituerentur, prospectum omnem cathedræ Archipræsulis et canonicorum subselliis obtexissent. Universæ partes prædictæ altæ sunt pedem. Cælatus interiacet zophorus



rus opere cryptico, vel in tumulorum fornicibus adinvento, (quod Vitruvius lib. 7, cap. 5, appellat monstra) tenui scalptura; admixta et humana vultuum signa modica, crassa cælatura. Expurgatur architectonici moduli transgressio elegantia, decoro, ac singulorum cura, et subtilitate. Terminorum intercolumnia clathrant incerti sive novæ excogitationis stili, balastia à media similitudine appellati, ea arte conditis, dispositisque spiris, limbis, ac armillis, vel annulis, reliquoque ornatu, ut lucem adeo transmittant æquabilem et imperturbatam, æquisque mediis perviam: huius ut scalptura alterius signis nil obstet, omnia in ferro excavata, sublataque cœlo in ferro solido. Orbiti sunt stili, sicque recti, ut permultorum sit opinio ad tornum æquati. Ad perpendiculum terminorum totidem consurgunt operosiora balastia: quorum nulla non pars nobilitatur scalptura sumptuosa, exactissima, subindeque æstimanda: septenos pedes alta, rataque crassitudine: compositum genus, ut quibus doricis basibus capitula superponantur corinthia. Clathrantur et hæc media novis columnis, ut inferiora: idem construunt opus ac inferni stili, quoad claritudinem transmittendam intelligo; structura enim corinthii sunt, atque compositi generis, mira venustate illo huic ingesto. Iam nunc augustioribus hisce columnis, et incertis stilibus succedit epistylum, zophorus, ac corona eorundem generum: universa trium pedum insumunt altitudinem. Epistylum corinthium tantummodo est, tam

rectum, tamque adamussim, ac si constaret materie. Zophorus vero in cavis elaboratur fornicibus in rotunda forma: perficitur opere cryptico, frondibusque et cauliculis aptissime dispositis. Cavis etiam fornicum præfulgent miro ordine humanorum vultuum effigies, prominentibus capitibus, proiecta scalptura: vultus veris simillimi, pari cum repræsentatis magnitudine. Ipsa cava floribus itidem implentur tornatilibus, pedali circiter proiectura, qui sic zophorum superbo crepantique opere attollunt, ut maxime deceat; quoque venustetur ecphora, conflato ære monstra adhibentur convoluta, dispansas alas tendentia. Succedit corona, cuius omnia membra consentiunt, committuntur, correspondent, serieque dispositissima locantur: ovatu in solido ferro tumentis, aliisque cælaturis subtilibus, ac (si materiam respicis) magnificentissimis, decoratur huius proiectura sesquipes. Epistylum cum hac corona ferrea sunt, zophorus æreus, auro lita universa. Huic demum coronæ coronis innititur, quæ universæ structuræ coronidem apponit: media (qua parte ianux clathri dirigitur) quattuordecim pedes alta est: contrahuntur latera iuxta architectonicam rationem. Huius laboris summi complementi, finitionis, sive apicis, medium obtinent imperatoria insignia omnibus particulis, vel stemmatis indicibus expressa. A quorum lateribus, sive intervallorum impletione, nobiles adstant cælaturæ cryptico opere. Hinc inde Archipræsulis symbola. Haud longo distant spatio insignia

Ec-

Ecclesiæ cum adiunctis, tam egregiis, tamque divite opere, ut Templo claritatem possent dare vel singula. Medium acroterium est simulacrum Iesu Christi crucifixi, cuius imagini tota civitas religiosissime devovetur: antiquissima effigies: magni est artificibus perpendentibus, quando excusa: humanam staturam ulna superat. Cum ergo sit aliquanto maior statua, subindeque ponderosa; nam cruci ferreæ adhæret identidem æqua magnitudine; tanto appendet artificio, ut aerem pro basi premere dicas: ab ima corona ad summum crucis unius et triginta pedum est altitudo. Claudamus postremo inexhausti laboris opus ianua viginti unius pedum altitudinis, undecimque apertionis, vel intervalli: duabus dimidiis valvis intro impulsis patescit, (meo iudicio) mobilibus, quod moles ferrea tantæ magnitudinis non potest non et magni ponderis esse; hæ autem versantur facillime. Imæ valvæ loco socculi iaspei, marmorei, æreique (de quo inter prima meminimus), ferreis tabulis pro intercolumniorum clausura facta duo cælata habent, quorum alterum puerorum prælium equestre est, alterum antiquum sacrificium: singulæ tabulæ singulis valvarum subsunt. A factorum lateribus quadræ patent, cum effictis leonum æreis capitibus, relatorum magnitudine, quæ annulos mordicus tenent: forium unaquæque binis ornatur prædictis simulacris: media extat lamina cum facti cælatura. Magnificentissimum opus, nec nisi duobus integris absolutum lustris, ma-

gno artificum numero sine intermissione operante, aurata omnia, ac verius aurea, ut eruditorum iudicio requiri ultra nil possit.

## CAP. XX.

*Descriptio clathri pro choro beneficiariorum.*

Cancelli chori huius symmetriatè, magnificenter, examussimque elaborati sunt: quorum hæc membra. Podium iaspeum, tessellatimque marmoreum, duobus nos invehit gradibus commodis ad introeundum: his inest ferreus soccus solidus, excusus, unde totus consurgit clathrus. Socco innituntur septem stylobatæ, æquis discreti intervallis, qui quidem et quadrati sunt, sculpturisque perfectissimis in quavis tetragoni parte conspicui; nec desunt scamilli, gulæ, et cymatia. Ab stylobatis vero coniunctis hinc inde pilis, sive lapideis columnis, quibus ferrum connectitur, ad stylobatas contiguos aditibus (duobus enim immittimur) tredecim sunt striati stili incerti, sive novi generis, vel excogitationis, (quos balastia nuncupant) hac arte perfecti: basibus decorantur, orbiculis, globisque in modum pensi, necnon et condylis (seu mavis annulis) cum coronatis capitulis. Sequuntur fores, quarum singulæ denis præsigniuntur incertis stilis, eiusdem cum prædictis formæ. Intra forium spatium stylobatæ sunt tres: duo reddentes intervalla, vel intercolumnia, decem paribus stilis clathrata. Succedit præinctio toris balleisque deformata, quæ summa stylobatarum, ac incertorum sti-

lo-



lorum ambiens procurrit. Univer-  
sa autem, quæ huc usque sumus  
executi, à socco ad præcinctio-  
nem, appellant nostrates architecti  
transtrum. Iam huic ferreæ tabu-  
læ, seu dislocatæ coronæ ad sty-  
lobatarum libellam septem incum-  
bunt augustiores columnæ mixtæ,  
quæ ad ipsum provehuntur episty-  
lium, variis conspicuæ ac exa-  
ctissimis schematibus; columnæ  
singulæ è modo relatis septem  
bases habent ac orbes: mediæ in  
formam crateris novæ excogitatio-  
nis eximiæ, et ipse magnificentis-  
simis excusionibus in ferro haud  
cavo. Carchesium nimirum cum  
fundo et operculo, cælaturis, scal-  
pturis, et coronis extat adverten-  
dum, cui super est pensum fer-  
reum late patentibus, apteque in-  
tortis foliis pansum, striatumque  
ad imum capitulum: ornatur et  
annulis, supraque capitulo corin-  
thio. His septem columnis inter-  
iacent totidem maiores incerti sti-  
li, ac in transtro. Inter stylobatas  
etiam intervalla clauduntur novis  
columnellis; ut enim supra singu-  
los stylobatas eminent columnæ  
singulæ; eodem pacto, novi gene-  
ris stilis singulis parvis singuli  
imponuntur magni stili, qui ipsis  
fulciantur. Ipsi sane basibus con-  
stant, ac armillis, mediisque crate-  
ribus parvis, Romana arte statutis,  
quos alteri consequuntur orbiculi,  
postremo capitula. His maioribus  
stilis insidet suis fasciis expres-  
sum epistylum. Suprà zophorum  
incertis stilis, ac scalptis signis, et  
vultibus utraque facie perfectis, vi-  
dere est. Singulorum vultuum, et  
stilorum numerus duodetriginta  
alternatim partitus. Eiusdem ope-

ris balastia, ac quibus absolutum  
est transtrum. Collucent inter hæc  
signa ac stilos sex veterum effi-  
gies, nomine termini. Medius zo-  
phorus insignia continet Præfecti  
operum Ecclesiæ. Latera eiusdem  
duabus admonere videntur litte-  
raturis: externos, *Procul este pro-  
fani*: internos, *Psalle, sile*. Inse-  
quitur corona proiecturis figurata,  
quæ ambas, quas prædiximus, la-  
pideas columnas tangit, supra  
quam totius operis est coronis, hoc  
est, candelabra decem iuxta artem  
Romanam exactissima, inter quæ  
et sunt crypticæ effigies eadem  
arte. Quattuor ex his candelabris  
præsigniuntur litteraturis Davidica  
sententia: *Cantabo Domino, qui  
bona tribuit mihi*. Ubi et medius  
est circulus continens Præsulis in-  
signia, foliis ac volutis utrimque  
venustatus, necnon arietum effictis  
capitibus, frondibusque, et cauli-  
culis, spatia ad candelabra quam  
commodissime adimplentibus. Iam  
iam præscripto circulo imponitur  
corona, supra quam ferreæ sirenes;  
age vero et altera parva corona,  
ubi et hemicyclus pro acroterii ba-  
si. Quæ omnia aurata, vel potius  
aurea, et argento tecta, deducun-  
tur ad simulacrum D. Michaelis  
cruce tenentis, qui totius anti-  
pagmenti apex est.

## CAP. XXI.

*De pavimento et apsidibus Ec-  
clesiæ, eiusque vitreis  
fenestris.*

Stratum est pavementum totius  
Ecclesiæ, præter id, quod de utri-  
usque chori lithostroto diximus,  
alba nigraque petra quadrata, val-  
de

de polita, accuratiusque disposita, nisi quod passim, propter defunctorum sepulcra inordinate posita, serie miscellanea deturbatur. Parietes albo lapide sunt muniti, habentes circa summum concavum quamplurimas fenestras vitreas, perlucentes, variis delineatas Sanctorum imaginibus, numero septingentas quinquaginta, ut Siculus recenset in tractatu de rebus memorabilibus Hispaniæ, cap. de Lusitana provincia; quæ machinam templi sua pulchritudine et claritate magis formosam reddunt. Circa fenestras exterius sunt deambulatoria quædam usibus ædificii deservientia, quibus tota machina lustratur, et reficitur; interius vero quædam et deambulatoria in prima abside semicirculum faciunt, quæ chorum maiorem ferme ambiunt. Ecclesiæ testudines candidæ sunt. Muniunt eas, et ab imbris aliisque incommodis protegent tabulata magna (sive contignationes) artificiose composita, fulcris statura hominis altioribus suffulta, tectaque partim tegulis, partim lateribus ac planis lapidibus. Turriculæ lapideæ, in modum pyramidum erectæ, è singulis (inquam) pilis per totum ædificium exeunt, quæ sacram Basilicam extrinsecus pulcherrimam faciunt.

CAP. XXII.

*De imagine equestri Stephani Illán in fornice Ecclesiæ depicta.*

Cum sanctissimum hoc Templum (cuius fastigia vexillum crucis mirabili quodam modo effigiant) tot Sanctorum imaginibus redun-

det, ut quasi microcœlum appellari merito possit, eius tamen culmina et apsides nulla ornantur pictura, nulliusque aut Sancti, aut Herois in eis reperitur effigies, præterquam domini Stephani Illán, splendidissimi equitis, qui armatus equo insidens, vexillumque manu tenens, in summis fornicibus trans chorum altaris augustioris est depictus; cuius eximiæ virtuti et strenuitati, præsertim ob defensionem huius imperialis urbis, ob eamque à vectigalium iugo assertam, honos hic, atque alius longe cumulator debetur. Is enim clarissima stirpe progenitus, à vectigalium iugo servili (ut passim fertur) urbem hanc immunem reddidit. Ex huius stirpe procedere aiunt illustrem prosapiam eorum, qui à Toletis nuncupantur, quorum est in primis Dux Albanus noster, atque alii ex summatibus Hispaniæ. Quorum genus sunt qui referant ad quemdam Constantinopolitani Imperatoris filium, qui in Hispaniam advenerit, unde Stephanus hic originem duxerit. Floruit autem sub Alphonso Rege huius nominis VIII. in cuius testamento Stephanus idem Prætor urbis Toleti nominatur.

CAP. XXIII.

*De ostiis huius sacri Templi.*

Octo ingentia ostia biforia Templum hoc sacrosanctum aperiant: duo ad austrum, tria vero ad zephyrum, totidem autem ad boream respicientia. Quibus nomina sunt (ex australibus) in primis porta Lætitiæ: cuius vestibulum mira artificum manu structum, in exte-

rio-



reriori parte indicat Assumptionem Beatæ Virginis Mariæ, circumseptæ innumeris Angelorum ac Sanctorum imaginibus. Interiorem vero eius partem ornat imago marmorea nostri Redemptoris, ab inferis resurgentis magno claritatis fulgore. Supra hanc imaginem organa magnitudinis stupendæ sunt posita, sollemnioribus dumtaxat festivitibus pulsanda. Sequens porta, olim dicta *de Oliva*, eo quod ad eam oliva virebat, nunc Decani appellatur, quoniam Decani domus iuxta eam sita est. Prima ex tribus portis, quæ ad zephyrum expanduntur, Inferni, Tabellionum, sive David Regis nominibus nuncupatur. Inferni, propterea quod infernus, ubi damnatorum animæ cruciantur, est in eius abside sculptus: cui et super est effigies terribilis futuri universalis iudicii, quo Dominus noster Iesus Christus fidelibus quidem gloriam, impiis vero pœnas æternas impartietur: David vero, ob eius quondam statuam ad imam ostii partem adpositam: Tabellionum autem, quoniam tabelliones frequenter circa illam versantur. Qui etiam si casu quopiam ad eam portam stationem fecerint, intelligant tamen, ex consilio meo, perfidæ munus suum tractantibus inferni vindictam propositam esse. Supra has fores in interiori pariete scriptum videre est hoc memorabile epitaphium: *En el año de mil y quatrocientos y noventa y dos, á dos dias del mes de Enero, fué tomada Granada con todo su reyno por los reyes nuestros señores don Fernando y doña Ysabel, siendo arçobispo de esta santa iglesia*

*el reverendissimo señor don Pedro Gonçalez de Mendoça, cardenal de España. Este mismo año en fin del mes de Julio fueron echados todos los Judios de todos los reynos de Castilla, de Aragon, de Sicilia. Media, ære cyprio utrimque munita, porta Veniæ (Hispane *del Perdon*) appellatur; propterea quod illam ingredientibus indulgentiæ conceduntur plures, quas nostri maiores eo forsitan impetrarunt, quod illac introiisse Divum Alphonsum pro comperito habuerunt nocte illa, qua Beatissima Virgo Maria eum, quasi in æternæ gloriæ pignus, cœlesti induit vestimento. Quod testatur marmoreum schema, sacrosanctæ Virginis Mariæ exprimens descensionem, supra hanc ianuam foris insculptum. Eam olim portam, non secus quam apes alveum, uterque sexus frequentabat; nunc vero, aut quia caritas refrixit, aut propter innumeram peccatorum remissionem, non eo religioso ardore ac devotione celebrat. Ostium hoc, ob reverentiam sibi observatam, in festivitibus tantum præcipuis reseratur, maxime eiusdem almæ Dei Matris, aut quoties Rex, Princeps, aut Prælati primitus Ecclesiam adeunt. Hac quindecim aditus patebat gradibus non multis ab hinc annis, quos gradus (opinor) prisci struxerunt in memoriam sanctissimæ descensionis Beatæ Mariæ in hanc Basilicam, Salamonis forte imitantes templum, quod ipsa Virgo quindecim scalarum gradibus ascendit, cum tertium suæ ætatis agens annum eidem Templo fuit præsentata; differt tamen quod illud ascenden-*

den-

dendo, hoc vero descendendo, sacrosancta Dei Genitrix petivit: idcirco (aiunt) mulieres gravidæ, ut prosperos ederent fœtus, hasce scalas ascendere, ac descendere consueverunt. Ultima porta Turris dicitur, quoniam ad eius calcem adiacet: Cymbalorum ianua ab aliis appellatur, eo quod iuxta illam cymbala sacris benedictionibus dedicantur, atque in eandem turrim efferuntur. Ex illis tandem, quas boreas ferit, duæ portæ aperiuntur ad claustrum, à quo et nomen accipiunt: <sup>(1)</sup> tertia autem tum eleganti opificio, tum Divorum Heroumque statuâ circum sculptis, magnifica ianua Regum, quoniam Regum Magorum, Iesu infanti munera deferentium, effigies lapideæ supra eam exterius adstant, appellatur: illam alii vocant Sandaliorum, quia è regione hinc inde sandalia, ac crepidæ venduntur: olim nuncupabatur Ollarum, eo quod ubi nunc sandalia, forsân ollæ venire solebant. Hanc mediam continent duæ parvulæ ianuæ à lateribus positæ, quarum altera servat ornamenta capellæ domini Petri Gundisalvi de Mendoza, altera scandimus ad <sup>(2)</sup> machinam duorum horologiorum simul sonantium, supra hanc Regum portam in quadam cellula fabrefactam: eorum quidem maius ab alta turri, atque ingenti giganteaque statua ferro lucido munita, et armata, pulsatum, civitati horas assignat; alterum vero parvum Ecclesiæ tan-

tummodo deservit, ac duobus armatis hominum simulacris contra ianuam Lætitiæ positum tangitur. Infra quod duæ virorum imagines motum solis, ac eius lineas, puncta, et horas contemplari videntur, ut verum horologium efficiant: nam tota illius perfectio in linea meridiei potissimum consistit, quæ scitu facilis, si recte perpendatur; difficilis autem, si vera ipsius cognitio ignoretur: at ne ab instituto digrediar, hæc in arte peritis perpendenda relinquam.

## CAP. XXIII.

*De exteriori Sacrario.*

Sacrum deinde Ærarium quis non admirabitur? magnificum opus, immortalique memoria dignum. Quem, obsecro, tam irremeabilis labyrinthus non perterrefaciet? Aut quis rerum, quæ in hoc Sacrario continentur, varietatem absque Ariadnes (quod aiunt) filo audeat adoriri? cui explicandæ non Ciceronis exuberantissima eloquentia, non Demosthenis facundia sufficeret. At ne opus tam illustre sub silentio pertranseam, pauca ex multis sub brevitate perstringere nitar: ac prius ea, quæ sunt extra ipsum adytum, exponam. Valvæ ergo primæ ligneæ ante atrium Sacrarii interdium patent; reliquæ vero non semper. In ipso atrio olim erat Sacellum, ubi Divorum Augustini et Pontii festa celebrabantur. Ibidem à quodam Archidia-

(1) Hæc porta, quæ antiquitus Regum vocabatur, hodie appellatur *Infantis deperditi*.

(2) Insuper admonemus horologium, de quo agit Ortizius, decursu temporis at-

tritum fuisse, et incompositum, cuius loco aliud mirifica arte ab Emmanuele Gutierrez, Hispano, extractum, eadem in turri suffectum est.



diacono ordinis militiae *de Calatrava*, Alphonso Melendez, relictæ fuerunt quinque Missæ, in qualibet hebdomada celebrandæ, quæ hodie senatus consulto huius almæ Ecclesiæ alibi persolvuntur: velut aliæ multæ, quæ iustis de causis diversis quidem Sacellis celebrantur, quum in propriis peculiaribusque non possunt; aut quia postmodum diruta, aut aliis Sacellis incorporata, eorum memoria vetustate abolita sit. Quod Sacellum ut aditus ad sacrum Ærarium, tunc denuo structum, pateret (si famæ creditur), deiectum fuit: nunc vero in dicti Sacelli memoriam hoc unum reliquum est, ut in eorundem Divorum festivitibus commemorationes fiant. Ad sinistram intra dictum vestibulum est aliud Sacellum B. Marinæ, ubi singulis hebdomadis novem persolvuntur Missæ: ex quibus quinque primitus reliquit pia femina, Maior Alonso nostro idiotismo Carpetano nuncupata, pro animæ coniugis satisfactione. Quatuor postremo instituit Alphonsus Ortizius, in sacra theologia doctor, canonicus quondam Toletanus, qui etiam oratorium iuxta Sacrarii ianuam exteriorem in parietis crassitudine Dominicam Resurrectionem ostendens, seris obstructum reliquit, quod arte mira elaboratum, paucis ex sollemnibus diebus patet. Huius egregii viri nonnulla volumina sermone latino scripta habentur: idem suam bibliothecam Salmantinæ librariæ donavit. In hac Capella Divæ Marinæ iacet sepultum architectoris huius Ecclesiæ corpus, Petri Perez nuncupati, ut constat ex ti-

tulo in saxo parieti occidentali eiusdem Sacelli adhærente inciso: obiit autem X. die Novembris, Æra Cæsaris 1328. Ad dextram repositorium est multorum vestimentorum pro quotidiano communique ministerio, quæ triginta capsis extractilibus, qualibet titulum ornamentorum habente, custodiuntur; præter duos riscos prope cancellos, quibus repositorium ab atrio distinguitur, in parietum crassitudine cavatos, ubi thura, thuribula, lebetes ministerii quotidiani, et alia id genus servantur. Dictum autem repositorium variis historiis scite depictis ornatur, inter quas est imago Divi Andree in cruce vincti, quæ eo ibi depicta est, quod olim hic locus eius fuerat Capella, ac in ipsius memoriam ibidem recolitur festum. In huius repositorii meridionali pariete armariolum est, ubi sub fida custodia sanctum Chrisma, ac oleum infirmorum, catechumenorumque, per totum Archiepiscopatum distribuenda, in vasis argenteis asservantur. In eodem pariete sursum videre est epitaphia quorundam huius Ecclesiæ Præsulum, in eo loco (ut creditur) sepultorum, cum olim Divi Andree sacellum esset, quæ hic libuit inserere eadem serie, qua illic leguntur, quæ talis est. *Obiit D. Bernardus, primus archiepiscopus Toletanus, Hispaniarum primas, postquam civitas Toletana fuit capta per illustrem regem D. Alphonsum, tertia die Aprilis, æra 1166.* Rem quidem miram, Bernardum Præsulem dignissimum annos 65 in præsulatu vixisse; ni dixerimus, ca-

captam Toletum Æra 1133, sive 1123, <sup>(1)</sup> ut supra retulimus. Obiit D. Raimundus, archiepiscopus Toletanus, Hispaniarum primas, 19 die Augusti, æra 1188. Obiit D. Ioannes huius nominis primus archiepiscopus Toletanus, Hispaniarum primas, 29 die Septembris, æra 1204. Obiit D. Celebrunus, archiepiscopus Toletanus, Hispaniarum primas, 12 die mensis Maii, æra 1218. Obiit D. Gundisalvus primus, archiepiscopus Toletanus, Hispaniarum primas, 30 die Augusti, æra 1229. Obiit D. Martinus, archiepiscopus Toletanus, Hispaniarum primas, 28 die Augusti, æra 1246. Obiit D. Ioannes secundus, archiepiscopus Toletanus, Hispaniarum primas, 23 die Augusti, æra 1283. Obiit D. Guterrius primus, archiepiscopus Toletanus, Hispaniarum primas, 9 die Augusti, æra 1288.<sup>(2)</sup> In septentrionali autem pariete dicti repositorii scalæ sunt, quibus ascendimus ad officinas et cellas tribus Sacrarii ædituis ac phrygionibus

( qui *bordadores* vulgo dicuntur ) destinatas, et ad solarium subdiatile. Sequitur iam posticum ad impluvium orientem versus positum: quo ingredientibus prima se offert cisterna aquæ fluvialis, et malluvium, ubi Sacerdotes celebraturi ministrique lavantur. Continuo ad sinistram archivum duabus seris munitum, in quo omnia chirographa, privilegia, ac monumenta Ecclesiæ, suis scriniis inclusa, custodiuntur. Tum occurrit aula contra dictam cisternam, servans suis pluteis ac repositoriis omnes libros cantus, quem simplicem vocant, in celebritatibus ac feriis totius anni officiis divinis deservientes.

CAP. XXV.

*De interiori Sacrario, reliquiis, ac ornamentis, quæ in eo habentur.*

Hæc de iis, quæ sunt extra penetralia Sacrarii, breviter tetigi: <sup>(3)</sup> nunc vero ad interiores ipsius pergamus recessus, ad adytum videlicet, ubi reliquiæ universæ, et pleraque huius Ecclesiæ pretiosiora,

Ggg 2 sub

(1) Hæc annorum computatio ab Ortizio facta omnino deviat à nostra, quæ recepta est in S. Ecclesia Toletana, et eius Præsulum serie. Itaque asserimus, Toletum fuisse expugnatum ab Alphonso VI. anno 1085, die S. Urbani, mense Maio, et Bernardum, natione Gallum, Abbatem Monasterii S. Facundi in Legionis regno, electum fuisse Archiepiscopum Toletanum anno 1086, Ecclesiamque rexisse usque ad annum 1124, quo obiit: quo supposito solum vixit in Præsulatu 38 annis, non vero 65. Vide supra pag. 378.

(2) Tempore Ortizii nondum erat constructa magnifica Capella Sacrarii cum Sacristia, et aliis officinis adiacentibus, de quibus postea loquemur; hodieque in exteriori parte ingressus ad Sacrarium appositæ sunt inscriptiones sepulcrales,

quas refert Ortizius, et præterea additæ maiori cum ornatu aliæ, quas denominare debemus seriem chronologicam Præsulum Toletanorum usque ad nos, sive fuerint sepulti in Ecclesia, sive non; etiamsi renunciaverint Cathedram Episcopalem, ut Archidux Austriæ Albertus, et Infans Hispaniæ Ludovicus filius Philippi V. Regis nostri. Et cum Capella antiqua S. Andreae, quæ Præsulum Toletanorum sepulturæ deserviebat, diruta fuerit, ut novum Sacrarium extrueretur, intra parietem ingressus Sacrarii appositæ fuerunt ossa Præsulum Toletanorum, qui in ea fuerunt sepulti. Quamvis ergo sepulcra exterius non appareant, intus custodiuntur, et extra referuntur nomina illorum.

(3) Cum forma Sacrarii et hierothecæ



sub duplici ostio, altero ligneo, altero ferreo clathrato, tribus clavibus obserato, religiose continentur; quarum clavium unam Archipræsul, aliam vero Capitulum, tertiam autem Thesaurarius, aut eorum vicem gerentes, ex Ecclesiæ constitutione custodiunt, quod adytum ob eius maiestatem et opulentiam nemini sine copia procerum Ecclesiæ visere permittitur. Cuius super limen supernum cernitur Virginis imago, honestissimo induta ornatu, dulcem Natum ad ubera gestantis, quæ in magna veneratione habetur apud nostrates. Adytum ipsum reliquiarum repositorium pulchrum et spatiosum est, multis Divorum imaginibus, præcipue Eugenii, Alphonsi, et Leocadiæ Virginis exactissime depictum, fornicibus deauratis innixum, lacunarique cæruleo aureis stellis undequaque coruscans. Septemtrionali parieti adhæret reliquiarum ligneum, quod in urnis, ac vasis pretiosis, capsulis, ac repositoriis argenteis servat innumeras Sanctorum reliquias, quarum potissimæ sunt, quæ sequuntur. Tres parvulæ cruces ex sanctissimi patibuli ligno, in quo Christus Servator noster pro humana salute pependit: prima quidem affixa laminæ argenteæ, margaritis, aliisque unionibus septæ, qua, evangelisque sacris, coram propositis, Prælati in prima post præsulatus assumptionem vi-

à meo dignissimo antecessore Cardinali D. Bernardo de Sandoval et Roxas penitus immutata sit, solum ad memoriam pristinarum Capellarum deservire possunt, quæ hic refert Ortizius. Igitur præfatus Præsul suis expensis erexit Capellam, quæ vocatur Sacrarii Virginis Ma-

sitatione statuta huius sacrosanctæ Basilicæ servaturos esse, iurant: altera in bractea magna et argentea, multis Divorum reliquiis, gemmisque non parvi momenti circumvallata; tertia autem in media crucis parte cælata est. Spina etiam Dominicæ coronæ intra parvam ex argento custodiam asservatur, quam cum aliis pretiosissimis reliquiis à S. Ludovico Francorum Rege Ecclesia Toletana dono suscepit. Testatur hoc epistola ab eodem Principe missa, caritatis et religionis plena, quæ in Sacratio nostro sigillo aureo ob signata custoditur. Eam hic subtexere placuit, quæ et plenam fidem dictis meis faciet, et curiosum lectorem oblectabit.

“Ludovicus Dei gratia Francorum Rex, dilectis suis in Christo canonicis, et universo clero Ecclesiæ Toletanæ, salutem et dilectionem. Ecclesiam vestram volentes xenio pretiosi muneris insignire, per dilectum nostrum Joannem Archiepiscopum Toletanum, et ad preces ipsius, de venerandis et eximiis sanctuariis nostris, quæ de thesauro imperii Constantinopolitani suscepimus, pretiosas vobis particulas destinamus: videlicet, de ligno crucis Domini: unam de spinis sacrosanctæ spineæ coronæ eiusdem Domini: de lacte gloriosæ Virginis Beatæ Mariæ: de tunica Domini purpurea, qua indutus

riæ, et sumptibus fabricæ S. Ecclesiæ constructa postmodum fuit hierotheca, in qua non solum sacræ reliquiæ, quæ ab Ortizio numerantur, repositæ sunt, sed aliæ quamplures pretiosissimæ, dono datæ à Regibus, Præsulibus, Optimatibus Regni, Canonicis, et aliis viris piis.

»fuit : de linteo , quo præcinxit se  
 »Dominus , quando lavit , et ex-  
 »tersit pedes discipulorum suo-  
 »rum : de sindone , qua corpus  
 »ipsius sepultum iacuit in sepul-  
 »cro : de pannis infantiae Salvato-  
 »ris. Vestram itaque dilectionem  
 »rogamus , et requirimus in Do-  
 »mino , ut prædictas sacras reli-  
 »quias cum debito recipiatis , et  
 »custodiatis honore : necnon in  
 »Missis et orationibus vestris pe-  
 »rennem nostri memoriam habea-  
 »tis. Actum apud stampas anno  
 »Domini 1248 , mense Maio.»

Asservatur etiam in dicto Sa-  
 crario corpus S. Soteris Papæ et  
 Martyris , in arca argentea reposi-  
 tum. Tria insuper religiose custo-  
 diuntur ex Divorum Ioannis Ba-  
 ptistæ et Sebastiani capitibus fra-  
 gmenta , quæ mediæ ipsorum ima-  
 gines , deargentatæ , umbilico tenuis ,  
 inclusa tenent. Aliud item Divi  
 Blasii segmen argentea navicula  
 servat , quod dominus Petrus Te-  
 norius , Archiepiscopus Toletanus ,  
 Sacello suo donavit. Ultra hæc ,  
 quattuor capita , duo ex undecim  
 mille Virginum numero , tertium  
 S. Mauritii , in eiusdem dimidiata  
 statua , ex argento efficta : ultimum  
 autem caput S. Germani. Brachium  
 præterea argento vestitum B. Eu-  
 genii , Toletanæ urbis patroni. Ma-  
 nus S. Luciae argenteo brachio mu-  
 nita. Ad hæc portiuncula veli San-  
 ctæ Leocadiæ , una cum aliis re-  
 liquiis , in custodia argentea non  
 in parva veneratione habetur. Nec-  
 non quædam Divæ Catharinæ ossa ,  
 ac non nihil olei ex eius sepulcro  
 manantis , simul cum cæsuris in-  
 dumentorum ipsius in argentea  
 custodia pretii non exigui latent.

Item capilli Mariæ Virginis Ma-  
 tris. Corporalia etiam , quæ Bea-  
 ta Clara propriis digitis nevit , su-  
 pra magnum sita aureum calicem ,  
 à Regina quadam Saracena dona-  
 tum , quæ , contemptis Mahometi  
 impiis superstitionibus , ad veri Dei  
 fidem fuit conversa. Aliæ reliquiæ  
 Principum Apostolorum Petri et  
 Pauli , ac reliquiæ Divi Augustini  
 in custodia crystallina auro munita  
 custodiuntur. Sunt etiam duæ sta-  
 tuæ argenteæ : quædam Divi Al-  
 phonsi , dextra quidem baculum ,  
 sinistra vero unum ex ossibus  
 eiusdem Alphonsi crystallino vase  
 sustinens inclusum : altera Divi  
 Eugenii , quæ parvulam thecam  
 manibus tenet , S. Dionysii alio-  
 rumque Divorum reliquias haben-  
 tem. Tres præterea argentei scy-  
 phi : in primo quidem S. Nicolai  
 reliquiæ habentur ; alter vero la-  
 pillo agatha , in modum pomi  
 cinctus , fragmentum crucis , cui  
 alligatus Divus Andreas passus est ,  
 cum aliis reliquiis custodit : tertius  
 autem S. Eugenii reliquias servat.  
 Item septem crystallina vascula ,  
 quorum primum Reverendissimus  
 frater Franciscus Ximenez Tole-  
 tanus elargitus est , habetque fa-  
 culam sanctissimi veræ crucis li-  
 gni , et segmen habitus Beati Fran-  
 cisci , cum nonnullis aliis reliquiis :  
 secundum habet segmentum cili-  
 cii Beatæ Marinæ Ægyptiacæ : ter-  
 tium costam S. Sixti Papæ et Mar-  
 tyris : quartum aliam costam San-  
 cti Theodori ; tria vero reliqua  
 Divorum Stephani , Processi , et  
 Martiniani Martyrum sacra ossa.  
 Reliquiæ aliæ S. Ursulæ Virginis  
 in custodia mediocri argentea ser-  
 vantur. Sunt præterea reliquiæ

S.



S. Bartholomæi Apostoli in porphyritico reliquiario. Item reliquiæ Sanctorum Philippi et Iacobi; necnon cercis Beatæ Leocadiæ, quam Philippus, Hispaniarum piissimus Rex, ex Flandria in hanc Basilicam misit, quæ quidem asservantur in curriculo argenteo quattuor rotulas habenti. Duæ tandem laminæ argenteæ montis Calvarii, et Divorum Stephani, Georgii, Iuliani, Antonii, Fabiani, Cosmæ, Barbaræ, aliorumque Sanctorum affixas continent reliquias. Bonam omnium reliquiarum partem Ecclesia nostra debet domino Ægidio de Albornoz, Præsuli quondam suo, viro illustribus natalibus claro, toga pariter et armis insigni. Is enim ecclesiasticæ immunitatis propugnator, adeo egregie operam navavit, ut dux Ecclesiæ declaratus, innumera loca eidem restituerit, quæ tyrannice à quibusdam tenebantur; qua de causa occasionem habuit has sacrosanctas reliquias mittendi. Inter quas misit mucronem Neronis Cæsaris, quo Divo Paulo caput amputatum est: qui quidem in <sup>(1)</sup> cœnobio ordinis Divi Hieronymi, extra muros huius urbis sito, magna veneratione custoditur, cui is insculptus est titulus: *Mucro Neronis Cæsaris, quo Paulus capite est obtruncatus.* Domini Ægidii Archiepiscopi vita quoniam à Genesio Sepulveda, viro

(1) Qua via mucro iste ad monachos D. Hieronymi de la Sisle devenerit, ignoramus. Certe à Cardinali domino Ægidio habere non potuerunt, cum hic vita functus aliquot annis antea fuerit, quam cœnobium illud extrueretur. Suspiciamus autem mucronem ab aliquo ex consanguineis Ægidii acceptum, et apud se re-

in utraque lingua æque doctissimo, luculenter scripta est, illuc studiosum lectorem remitto. Hactenus de his, quæ ad reliquias pertinent. Nec me præterit, Principum clarissime, ante Toletanæ urbis expugnationem in hac sacra Basilica innumeras reliquias observatas fuisse; eas tamen Urbanus Toletanus Archiepiscopus in Asturias (ne à Saracenis irriderentur) detulit, ut refert D. Rodericus lib. 4, cap. 3. Subtus reliquiarium latent triginta sex loculi, ubi ornamenta pretiosiora custodiuntur, à quibus omnibus recensendis supersedere par erit, cum de ipsis superius generatim verba fecerim. In crassitudine parietis dicti adyti occidentalis tres riscus habentur, in quorum primo septem vulgares ex serico raso candido tiaræ servantur: ex quibus una, Antistiti deputata, funiculis deauratis, quattuorque eximiis magnitudine et pretio lapillis, ceteris ditior est; aliæ autem sex, quibus huius almæ Ecclesiæ dignitates (cum Archipræsul pontificali apparatu celebrat) sive ex privilegio, seu vetusta consuetudine ornantur, albæ ac simplices, auri et unionum expertes sunt, non inopia, sed potius iuris observantia: ut disponit cap. ut apostolicæ de privilegiis lib. 6, quod fere in nulla Hispaniarum Ecclesia reperietur; maiestas enim huius templi hæc et ma-

tentum, postea monachis donatum; vel, si mavis, à Præsule Toletano domino Petro Tenorio, qui ordini Hieronymiano maxime favit: cui coniecturæ locum dare etiam possunt litteræ quattuor istæ P. T. A. T. in mucrone scriptæ, quæ forte ita legendæ sunt: *Petrus Tenorius Archiepiscopus Toletanus.*

maiora meretur. Est et ingens manica crucis argentea, natalis et passionis Christi figuris in ipsa effigiatis circumdata. Tres insuper torques aurei magnifici sumptus (colli ornamenta et summi pectoris) multis unionibus, margaritis, hyacinthis, smaragdis, sapphiris, aliisque lapillis supra modum referti. Item lamina orbicularis aurea, cui plurimi itidem diversi lapilli inseruntur, quorum medium tenet topazius prægrandis, refulgens, subindeque æstimandus. Habetur ibidem lignum, quod olim in domum Iudæi, Garbalis nomine, deportatum, foco escam (ut solet) futurum, cum nullo modo comburi posset, nullisque flatibus aut follibus accendi, tandem Iudæus et familia admirati, lignum protinus dissecandum curarunt, causam novitatis in eius visceribus scrutaturi: nec defuit conatui successus; nam statim ut lignum dissectum est, imago Salvatoris nostri cruci affixi in ægide apparuit. Quod, sive ita natura obvenerit (ut plerumque alias figuras lapidibus, aut metallis, aliisque materiis videmus innasci), sive potius ob Dei consilium ita Iudæum servare volentis, in urbe nostra pervulgatum fuit, et adhuc domus illa, prope huius urbis macellum præcipuum sita, notissima est, et Crucis cognomen in posterum retinuit. Hæc in primo risco. Secundus servat septem eximias tiaras, à quibusdam Ecclesiæ Præsulibus relictas. Præter has vero alia habetur sumptuosa, à munificentissimo Cardi-

nale domino Petro Gundisalvo de Mendoza Ecclesiæ donata; adamantibus ac rubinis magni pretii, multisque unionibus refertissima: cuius pretium maximum ceterarum omnium, aut superat, aut certe adæquat valorem. Est ibidem effigies Servatoris nostri ex auro purissimo confecta, aurea rotundæ figuræ lamina inclusa, multis pretiosis margaritis irradians, ab eodem Archiepiscopo domino Petro Gundisalvo Mendozio donata. Item corona aurea olim Serenissimæ Reginæ dominæ Elisabeth, cognomine Catholicæ, tuæ celsitudinis proaviæ, lapillis plurimis ornata, quæ in Assumptionis Sacrosanctæ Virginis Mariæ festo capiti virginei simulacri solet imponi. Quattuor etiam calices aurei, quorum tres Sanctius de Roxas, Petrus Gundisalvus Mendozius, Alphonsus de Fonseca, Archiepiscopi Toletani, Ecclesiæ reliquerunt: alium autem, qui quondam Reginæ dominæ Catharinæ fuerat, Ecclesia ipsa comparavit. In tertio risco custoditur vas satis magnum ex monocerotis cornu fundo aureo suffultum, variatumque tribus aureis virgulis, quod (ut aiunt) cuiuscumque generis venenum à se procul expellit: donatum est ab Illustrissimo Domino Francisco Ximenez, Archiepiscopo Toletano, quod illi Serenissimus Rex Philippus, celsitudinis tuæ avus, dono dederat. Biblia itidem in tres tomos divisa, variis imaginibus et historiis absolutissime depicta: pro ea (ut fama est) civitas<sup>(1)</sup> Guadal-

(1) Licet fabulam redoleat civitatem Guadalaxarensis à Rege fuisse pro Bibliis oblatam, tamen compertum est, præ-

facta Sacra Biblia donata fuisse, non à S. Ludovico Rege Francorum, sed à S. Ludovico eius nepote Episcopo Tolosano.



faiara à quodam Rege mutuo Ecclesie nostrae offerebatur. Sunt praeterea intra parietem septentrionalem dicti adyti duo alii risci: in primo continetur admirandae crux magnitudinis, argento et auro decorata, quam Rex Alphonsus Portugalliae donavit (ut fertur) domino Alphonso Carrillo, Archiepiscopo Toletano, tempore suae confederationis; quae tanti est ponderis, ut à duobus tribusve Ecclesiae ministris in lectica baiuletur in sollemnitatibus tantum Corporis Christi, et Assumptionis, Nativitatisque Beatae Mariae. Et quamvis multae cruces pretii non exigui in hoc sacro Templo habeantur, de hac tamen propter eius potissimum excellentiam, miramque ponderositatem, meminisse placuit. In secundo autem risco quidam baculi cum rebus aliis non exigui pretii adservantur. In ipso adyto ad dextram se offert recessus, ubi vasa aurea, et argentea, necnon alia plurima ornamenta, ad divinorum ministerium pertinentia, custodiuntur; praesertim arca lignea, argenteo extrinsecus munita, ac figuris Christi mortem indicantibus, gemmisque variis ornata, in qua die coenae Dominicae, et Parasceves sacrosanctum Eucharistiae Sacramentum tamquam in sepulcro reconditur. Huius monumenti operosum apparatus (quod iuxta Mozarabum Sacellum hoc nostro tempore extrui consuevit) si in praesentia recensere vellem, opus esset longiori oratione. Sat sit dicere testudines quasdam subitarias, et in tempus structas, easque operosissimas, surgere, quae nec mau-

soleis, nec pyramidibus decantatis olim inter mundi miracula (iudicio meo) cedunt. In his arca Sacramenti collocatur, hinc et inde innumeris cereis incensis, et loci inumbrationem satis illustrantibus, quorum viginti dominus Fernandus Cerezuela Archidiaconus Toletanus legavit. Assistunt ibi octo beneficiarii binis horis ex universo beneficiariorum coetu: duo canonici, quattuor portionarii, et duo capellani, à prima hora qua clauditur Dominicum Corpus, donec in aram praecipuam honorifice defertur, divinum Sacramentum observantes; summissa voce, alternis choris psalterium incessanter concinentes. Hanc vero celebrem memoriam instituit Dominus Fernandus à Fonseca, canonicus Toletanus, ex huius urbis stirpe nobili et antiqua oriundus. Ascenditur ad arcam novi Testamenti per aliquot gradus, in quibus quidquid opulentiae et divitiarum in Aërario sacro servatur, repositum cernitur: adsunt etiam Sanctorum reliquiae, illae potissimum, quae maiorem antiquitatem et venerationem obtinent. Aequum est enim ut, ubi summa reliquiarum est (nempe sacrosanctum Domini nostri Iesu Christi Corpus), quidquid usquam Divorum habetur, stipatoris vice fungatur. Aditus ad testitudines aliquot ante vestibula continet, quorum interius clathris ligneis non admodum longis circumseptum est, quibus nimirum vulgus arceatur. Attoniti redduntur universi spectatores, aciem oculorum loci splendore praestringente. Sed illic, unde abii, redeo. Habentur in dicto Sacratio sacratissimae Virgi-

ginis Mariæ et duodecim Apostolorum ex argento puro cælata effigies. Alia item imago beatissimæ Mariæ Virginis argentea magnæ æstimationis. Est et arca grandis in ipso recessu cum quinque ordinibus capsularum, in quibus multa pretiosa ornamenta et vasa argentea sunt recondita, cruces, calices, candelabra, lebetes argentei ad aquam benedictam populo aspergendam. Ultra hæc habentur alia plurima vasa argentea (et ea non parva) suis capsulis inclusa, supra magnum abacum reposita, inter quæ sunt duodecim adeo subtiliter elaborata, ut materiam opus superet, quingentas selibras ponderis argenti postulati pendentia, ab Illustrissimo domino meo Ioanne Martino Siliceo, Toletano Archiepiscopo, Ecclesiæ, cum primum eam visitaret (arrharum vice) die Nativitatis Dominicæ anno 1546, simul cum aliis eximiis ornamentis donata, cuius muneris magnitudinem mirari iam desinat, quicumque munificentissimum auctoris animum cognoverit. Quem ob præclaras eius virtutes et litterarum eminentiam, Parisiis primitus liberalium artium præceptorem, in Salmanticensi deinde academia liberalium itidem artium, ac summæ philosophiæ diu optimum magistrum, clarissimi præterea Principis nostri Philippi dignissimum institutorem, auditoremque Pœnitentiarium conspeximus; ac felici tandem auspicio in hac Toletani Archiepiscopatus sede præsidere cernimus. Cæterum quia si de morum eius sanctimonia, ac doctrina, singularique in dicendo ac disputando

facundia, necnon illustribus gestis sigillatim in præsentia agendum esset, et ab instituto longe trahe-remur, et vires nostræ neutiquam suppeterent; ad ea, quæ magis operi instant, stilum convertam. Est et crux argentea deaurata, quam Illustrissimus Cardinalis Petrus Gundisalvus Mendozius, quocumque etiam extra Castellæ regna peteret, primatiæ iure præ se ferri iubebat; eademque Granata urbe, et eius arce (quæ vulgo *Alhambra* dicitur) Catholicis Regibus Fernando et Elisabeth deditis, in excelsiori illius arcis turri prima omnium est posita. Ut constat ex clausula testamenti eiusdem Illustrissimi Præsulis, quod quidem propria subscriptione et sigillo obsignatum, in hospitali Sanctæ Crucis (ipsiusmet etiam Archiepiscopi iussu et impensis post eius obitum structo) adservatur: eam vero clausulam, utpote curioso lectori non iniucundam, hic inserendam decrevi. *Otrosí, porque la nuestra Cruz, que en señal de Primado nos emos traído ante nos por las provincias de Santiago, Sevilla, Granada, Zaragoza, Valencia, Tarragona, é Narbona, y por las diócesis de las Iglesias, que se dicen exêmtas de los Metropolitanos susodichos, adonde nos avemos estado, es la primera Cruz que se puso sobre la mas alta torre del Alhambra de la cibdad de Granada, al tiempo que fué ganada, é quitada de poder de los Moros infieles enemigos de nuestra sancta Fe Cathólica, adonde, y en la toma de las mas principales cibdades del*

Hhh

di-



*dicho reyno de Granada nos llamamos con la dicha cruz en servicio de dios nuestro señor, y del rey y reyna mis señores, con nuestra gente y estado; mandamos que la dicha nuestra cruz, con su asta guarnida de plata, así como la nos traemos, sea puesta en el sagrario de la dicha nuestra sancta yglesia, en memoria de tan gran vitoria, y por decor y honor della, y de los perlados della: é allí queremos que esté perpetuamente, é que no pueda ser sacada dende, sino á las procesiones.* Et quoniam nihil est, quod magis hominibus debeatur, quam ut supremæ voluntatis, postquam iam aliud velle non possunt, liber sit stilus (in lege 1 de sacros. Eccl. Cod.) propterea dicta crux, ut pia tam illustris Præsulis voluntas observetur, nisi in sollemnibus pompis è Sacrario minime educitur. Multa adhuc recenseri poterant, quibus aliarum civitatum templa non vulgariter potuissent commendari; ea tamen silentio traduntur, aliorum, quibus Ecclesia nostra excellit, fulgore obscurata. Verum huius amplissimæ Ecclesiæ divitiæ, quamquam multæ videantur, paucæ tamen et exiguæ sunt præ vasis illis, quæ Cyrus Persarum Rex per Mithridatem templo Salomonis iussit restitui. Fuerunt enim quinque millia quadringenta vasa aurea et argentea; ea vero tulerat Nabuchodonosor ex Hierusalem, et posuerat in templo Dei sui. Hæc ex primo libro Esdræ ad primi capituli finem. Sed ampliora dona dedit Salomon, cum Dei templum consummavit. Struxit enim altare

aureum, mensam unam auream, decem argenteas, phialas aureas centum, candelabra decem, forfices, thuribula, ac morteriola ex auro purissimo, ut habetur tertio Regum, capite septimo. Iosephus tamen lib. 8, 1 tom. cap. 3 de eiusdem templi opibus scribens, multo his copiosiora refert, cuius verba non gravabimur subnectere, ut miranda illius sancti templi divitiarum, opumque multitudo magis lectoribus innotescat. "Obtulit Rex (inquit ille) multitudinem mensarum, et unam quidem valde præcipuam auream, super quam ponebant panes Dei, et huic proximas decem mille altero modo factas, super quas vase iacebant, scilicet phialæ et pateræ, aureæ quidem decem mille, argenteæ vero quadraginta mille. Fecitque candelabra decem millia, secundum præcepta Mosy, ex quibus unum in templo recondidit, ut per diem luceret secundum legem, et mensam unam, super quam positi erant panes, ad partem templi respicientem ad Aquilonem, è diverso positam candelabri, quod in australi parte constituit. Aureum vero altare inter hæc medium erat. Hæc enim omnia dominus habuit quadraginta cubitorum ante velum adyti, ubi erat arca recondita. Fecit itaque Rex vasa vini fusilia octoginta millia, et phialas aureas decem mille, argenteas vero duplici numero. Pateras vero aureas (ad offerendam in eis similam conspersam ad altare) octoginta mille, et argenteas duplici numero. Crateras autem, in quibus similam cum oleo

»oleo fermentabant , aureas qui-  
 »dem quinquaginta mille , argen-  
 »teas vero duplici numero. Men-  
 »suras autem (similes eis, quæ Mo-  
 »saicæ vocabantur et asserones )  
 »aureas quidem viginti mille , ar-  
 »genteas dupliciter. Thuribula ve-  
 »ro aurea , quibus offertur incen-  
 »sum , viginti mille : similiter et  
 »alia thuribula , in quibus porta-  
 »bant à maiori altari ignem ad  
 »minus altare , quod erat in tem-  
 »plo , quinquaginta mille. Stolas  
 »autem sacerdotales Pontificibus,  
 »cum his , quæ pendebant ad pe-  
 »des , et super humerales et ra-  
 »tionales ex auro et gemmis mil-  
 »le. Corona vero , in qua Deum  
 »Moses scripserat , una fuit , et  
 »ad hanc usque diem permansit.  
 »Sacerdotales autem stolas ex bys-  
 »so contextas , et zonas purpureas  
 »cum cingulis decem mille , et  
 »tubas secundum præcepta Mosy  
 »ducentas mille. Item stolas levi-  
 »tarum hymnos dicentium ex bys-  
 »so ducentas mille , et instrumen-  
 »ta musica , et ad hymnos dicen-  
 »dos adinventas (quæ vocantur na-  
 »bla et cinnira) ex electro consti-  
 »tuit quadraginta mille. Hæc enim  
 »omnia ad honorem Dei Salomon  
 »copiose et magnifice fabricatus  
 »est , in nullo parcus existens , sed  
 »circa ornamenta templi usus est  
 »præcipua largitate , quæ etiam in  
 »thesauris Dei recondidit." Hacte-  
 »nus Iosephus.<sup>(1)</sup> Quæ licet incre-  
 »dibilia videantur , nobis tamen mi-

raculo non sunt , qui nostra tem-  
 pestate ex Indicis regionibus , non  
 ita pridem Occidentem versus in-  
 dustria nostrorum patefactis , ad-  
 huc plura in Hispaniam deportari  
 vidimus : ut interim taceam ea,  
 quibus in Peru (sic eam partem  
 vocant) auspiciis invictissimi Cæ-  
 saris Caroli potiti sunt nostri,  
 omnem prorsus fidem excedentia.

CAP. XXVI.

*De his quæ inter Sacrarium,  
 et capellam , quæ dicitur novorum  
 Regum , continentur.*

**I**n exteriori Sacrarii pariete , con-  
 tra chorum altaris augustioris ere-  
 cto , nomina præteritorum huius  
 almæ Ecclesiæ Archiepiscoporum  
 extrinsecus in marmore sunt in-  
 cisa. In hoc eodem pariete lata  
 fenestra ferro reticulata solet ape-  
 riri , cum festivitas Divi Andreæ  
 celebratur , ut eius imago , quæ  
 intra Sacrarium latet , conspiciatur.

Prope est augustum Sacellum,  
 ubi recolitur memoria tormento-  
 rum et cruciatuum , quæ Domi-  
 nus noster , columnæ alligatus , per-  
 pessus fuit. Supra quam columnam  
 visitur facies Christi , quæ vulgo  
 Veronica , graphice depicta , cuius  
 devotionem femina quædam no-  
 mine Teresa , coniux viri cuius-  
 dam Alvari Lupi appellati , ita  
 religiosissime colebat , ut nullus  
 intermitteretur dies , quin audita  
 Missa , quæ sub auroram in Sacel-

Hhh 2 10

(1) Hisce auctoritatibus , quas nullus po-  
 test inficiari , responderi potest aucto-  
 ri , qui interrogationem apposuit : *In*  
*Templo quid facit aurum ?* Cur præcepit  
 Deus Salomoni fieri candelabra aurea,  
 emunctoria aurea , aliaque innumera vasa

aurea , et argentea , cum Templum ve-  
 teris legis figura sit novi , ubi non in um-  
 bra , nec sub arca Testamenti habitat  
 Deus , sed est vere et realiter præsens in  
 Sacramento Eucharistiæ?



lo S. Alphonsi quotidie concinitur, eam veneretur, atque adoraret, coramque ipsa Deum Maximum (cuius vultum Veronica exprimebat) precibus placaret: quod religiosum officium miraculo postea divina benignitate declaratum est; ipsi namque mulieri ægotanti, iamque morituræ, extrema unctione recepta, die Iovis, quinto Ianuarii, anni Servatoris nostri 1469, facies pulcherrima, quam Christi speciosissimam formam referre, omnes ad portenti spectationem concurrentes censebant, supra eius caput ad dextram apparuit in linteo ad parietem pendenti. At cum expectantes propius, ut specularentur, accederent, evanescebat ab oculis: cum rursus secederent, statim sese ostendebat. Quod miraculum per notarios exceptum in capituli huius sacri Templi quadam capsula servatur<sup>(1)</sup>. In quo etiam Sacello veneramus natale Divi Bartholomæi, atque ibidem decem Missæ per hebdomadam à duobus capellanis celebrantur, alteri à Paschasio Garsia Thesaurario, alteri à Vincentio Perez portionario reddito constituto.

Sequentis Sacelli, quod Beatæ Leocadiæ sacratum est, iam vetus ædificium instauravit Ioannes Ruiz de Ribera iunior, protonotarius, collector apostolicus, et canonicus Toletanus, ut titulus in occidentali Sacelli pariete in marmore incisus latius indicat his verbis:

(2) Hoc testimonium miraculi numquam vidi; et licet percunctatus fuerim, an in archivio S. Ecclesiæ asservetur, nullatenus inventum est, etsi magna diligentia conquisitum. Reperietur forte in scriniis prope aulam capitularem, aut occasione, in qua non requiratur. Sed dubitare

*Hoc venerabile sacellum fuit per reverendissimum D. cardinalem D. Ioannem Taveram archiepiscopum, et per R. D. P. decanum et capitulum huius almæ ecclesiæ Toletanæ dono concessum reverendo patri D. Ioanni Ruiz de Ribera sedis apostolicæ protonotario, canonico Toletano, ac collectori apostolico, eiusque successoribus, qui vasis argenteis, miroque fornice, ac tabulato aurato, et aliis quam plurimis ornamentis, in hoc pulchro (quem cernitis) ornatu illud magnifice decoravit. Perenni etiam memoria missam unam singulis diebus celebrari voluit: necnon anniversarium solenne annis singulis decantari: Kalendam quoque natiuitatis Christi, ob cuius singularem devotionem plenariam interessentibus indulgentiam perpetuo duraturam obtinuit, in choro dictæ ecclesiæ instituit festive agi, ac ea omnia ex propriis redditibus dotavit. Obiit anno 1539 X. Kalendas Aprilis. Præter ea vero, quæ in epitaphio habentur, aliud anniversarium à clericulis chori, V. idus Februarii, dictus dominus Ioannes Ruiz de Ribera concinendum instituit, necnon duas Missas sollemnes cum suis sacris vespertinis, alteram die post Beatæ Leocadiæ festum; alteram post festum itidem S. Sebastiani, assignata mercede, celebrari iussit, atque ab eisdem clericulis decantari.*

de eo non possumus, nec de fide Ortizii. Hortamur ergo venerabile nostrum Capitulum, ut hanc capsam perquirere discernat, vel in hierotheca, vel in archivio, vel suis in scriniis capitularibus, vel infra canonicorum subsellia.

ri. Ea autem Missa, quam singulis diebus peragi voluit, à duobus capellanis hebdomadatim eiusdem institutione celebratur. Huius viri corpus in antro ipsius Sacelli honorifice sepultum est, ubi et Ioannes Ruiz de Ribera senior, eiusdem avunculus, reconditus iacet.

CAP. XXVII.

*De Sacello quod Regum novorum appellatur.*

Contiguum est regium Sacellum, opere et proventu opulentissimum, cui forsàn in orbe terrarum par non reperietur, ministrorumque cultu magnificum. Quod Reverendissimus Alphonsus de Fonseca, Archiepiscopus Toletanus bonæ memoriæ, transferendis ex antiqua capella regiis corporibus summo studio ædificandum curavit.<sup>(1)</sup> At si umquam mihi scripturo facundia

(1) Hoc gravissimum negotium translationis capellæ Regum novorum à domino Alphonso Fonseca inceptum est, qui, cum magnam apud Catholicum Carolum Imperatorem gratiam obtineret, et aliunde videret navem maioris Ecclesiæ dissecatam, ut ita dicamus, esse, et eius pulchritudinem foedatam propter capellam Regum novorum, quæ à tergo chori in media navi principali posita erat; enixe Cæsarem rogavit, ut suo regio permissu alium in locum transferretur. Sed Archiepiscopo morte prævento, translatio fieri non potuit, nisi à Ioanne de Tavera eius successore. Huic regiæ capellæ unita est à me ex mandato regio alia capella, quæ denominatur Regum veterum, necnon capella Catharinæ Reginae; ita ut omnes capellani regii eodem proventu, et redditibus annuatim perfruantur, eodem honore, et prærogativis, absque ulla imminutione oneris ac Missarum, quæ à Regibus veteribus, et novis, et à Regina Catharina statuta fuerunt. Hoc ut clarius innotescat, sciendum est, Toleti appellari Reges veteres eos, qui antiquiores in fundationibus sunt, videlicet Alphonsos, et

exoptanda esset, nunc maxime, cum tuorum progenitorum munificentiam eximiam, opusque splendidum commemorare velim. Sunt igitur in illius primo vestibuli ingressu duo scutiferi lapidei, clavas, regaliaque insignia gestantes aurata. Ianua prima ferrea est, clathrata, inter quam et secundam alteram ligneam, atrium apparet arte eleganti concameratum, cuius testudo in summitate habet coronam concavam specularibus fenestellis undique circumseptam. Introeuntibus Sacellum è regione visitur Septemtrionem versus ara S. Iacobi à Regina domina Catharina erecta. In pariete vero occidentali arma quædam suspensa cernuntur, quibus Signifer Lusitanus, in pugna inter Hispanos Iberos, Lusitanosque, ad Taurum comissa, spoliatus fuit à nostris. Alia autem tria patent altaria ad Orientem

Sancios; novos vero posteriores, scilicet Ioannem I. et II. Enricos, et Catharinam. Unusquisque autem capellanus tenetur adimplere Missarum numerum sibi impositum, et anniversaria pro animabus Regum; et ad hoc alii debent adire antiquam Regum veterum capellam sub invocatione Crucis et Spiritus Sancti: alii adire debent, ad Sacrum celebrandum, altaria designata in nova capella, in qua sex hodie sunt, quinque marmorea iaspide, et ære deaurato, et altare maius ligneum, quod etiam renovabitur ex marmore, ut à Rege nostro Carolo IV decretum est: illa quinque altaria habent imagines S. Hermenegildi, S. Ferdinandi, Adorationis Magorum Regum, Nativitatis D. N. J. Christi, et S. Iacobi.

Adhuc scitu dignum est, regiam capellam veterum Regum à Rege Sancio sub invocatione S. Crucis erectam fuisse eodem in loco, in quo nunc situm est altare maius in maiori nave, et tempore Regum Catholicorum Ferdinandi et Elisabethæ translata fuisse in capellam, quam ad præsens appellamus Regum veterum, ut presbyterium S. Ecclesiæ protenderetur.



tem sita, quorum principale et medium dicatum est Descensionem Deiparæ Virginis, ornatumque plurimis Divorum effictis vultibus ac signis deauratis: dextrum etiam Descensionem, sinistrum vero eiusdem Virginis Matris Assumptionem sacrum. Regum monumenta et effigies ex alabastro nitidissimo extant in parietibus, quorum cadauera translata huc fuere ex antiquis monumentis, XIII. calendas Iunii, anno Domini 1534, permissu et iussione invictissimi Cæsaris nostri, ut supra dictum est. Primum domini Henrici II. monumentum in meridionali pariete visitur, supra quod hæc legitur litterarum series: *Aquí yace el muy aventurado y noble caballero rey don Enrique de dulce memoria, hijo del muy noble rey don Alfonso, que venció la de Benamarin, y acabó muy gloriosamente á treinta dias de Mayo, año del nacimiento de nuestro salvador Jesu Christo de 1379 años.* Mox sequitur in eodem pariete sepulcrum Reginae Ioannæ cum hoc epitaphio: *Aquí yace la muy catholica y devota reyna doña Juana, madre de los pobres, muger del noble rey don Enrique, hija de don Juan, hijo del infante don Manuel, la qual en vida ni en muerte no dexó el habito de sancta Clara, é finó á veinte y siete dias de Mayo, año del nacimiento de nuestro salvador Jesu Christo de 1381 años.* Ioannis præterea primi, dicti domini Henrici filii, monumentum in pariete septentrionali proximum est altari maiori, supra quod huiusmodi habetur epitaphium: *Aquí*

*yace el muy noble y muy cathólico y virtuoso rey don Juan, hijo del buen rey don Enrique de sancta memoria, y de la reyna doña Juana, hija del muy noble don Juan, hijo del infante don Manuel, y finó á nueve dias del mes de Octubre, año del nacimiento de nuestro salvador Jesu Christo de 1390 años.* In meridionali autem pariete apparet dominae Leonoræ, uxoris dicti domini Ioannis, sepulcrum, cui is inscriptus est titulus: *Aquí yace la muy esclarecida y catholica reyna doña Leonor, muger del muy noble rey don Juan, hija del muy alto rey don Pedro de Aragon, madre del muy justiciero rey don Enrique y del infante don Fernando: falleció á trece dias de Septiembre, año del nacimiento de nuestro salvador Jesu Christo de 1382 años.* Deinde sequitur Henrici III. monumentum in septentrionali pariete structum, huiusmodi habens epitaphium: *Aquí yace el muy temido é justiciero rey don Enrique de dulce memoria, que dios dé sancto parayso, hijo del cathólico rey don Juan, nieto del noble caballero rey don Enrique: en 16 años que reynó fué Castilla temida y honrada: nació en Burgos dia de sant Francisco: murió dia de navidad en Toledo, yendo á la guerra de los moros con nobles del reyno: finó año del señor de 1407 años.* In hoc etiam pariete visitur Reginae Catharinæ, dicti Henrici coniugis, sepulcrum, cuius titulus sic habet: *Aquí yace la muy cathólica y esclarecida reyna doña Catalina*  
na

*na de Castilla y Leon, muger del muy temido rey don Enrique, madre del muy poderoso rey don Juan, tutora y regidora de sus reynos, hija del muy noble príncipe don Juan primogénito del reyno de Inglaterra, duque de Guyana y Alencastre, y de la infanta doña Costança, primogénita y heredera de los reynos de Castilla, duquesa de Alencastre, nieta de los justicieros reyes el rey Aduarte de Inglaterra, y del rey don Pedro de Castilla, por lo qual es paz y concordia puesta para siempre. Esta señora finó en Valladolid á dos dias de Junio de 1418 años. Ad angulum dextrum est statua marmorea Regis Ioannis II. qui adauxit redditum sacellanis. Eius corpus sepultum est in monasterio Miraflores apud Burgos, habetque sub statua hoc epitaphium: Este vulto es del muy virtuoso señor rey don Juan de esclarecida memoria, que hizo y dotó el monasterio de Miraflores de Burgos, y está en él sepultado, é su señoría dotó por privilegios esta capilla de la renta que tiene; y por eso su servidor y capellan el bachiller Arias Diaz de Ribadeneyra, capellan mayor de aquí, le hizo aquí poner, porque los capellanes de la dicha capilla ayan memoria de rogar por el anima del dicho rey en todos sus sacrificios y orationes.* Hæc epitaphia Hispana lingua referre non abs re visum fuit, ne antiquitas negligetur, indeque lectores considerent, quantum prisca illa tempora differant à nostris in cogno-

minibus et titulis præstandis. In quolibet autem horum sepulcrorum statua tumulati est superimposita, è marmore nive candidiore mira lapicidarum arte incisa. Regum monumentis sacellanorum sedilia subsunt, qui à populo dividuntur parvis cancellis ferreis. Hic viginti quinque sacellani maiori capellano parentes à Regibus constituti sunt. Quibus pariter quotidie cura incumbit duas Missas decantandi: primam Beatæ Mariæ, alteram pro defunctis, exceptis sollemnibus diebus, qui in hac alma Ecclesia vulgo *de Gracia* dicuntur, quippe quibus gratia hac potiri capellanis concessum fuerit, scilicet nullam ex obligatione Missam peculiarem celebrare. Gratia hæc unde processerit, licet plurimi religiosi viri quæsierint, et præcipue Reverendissimus dominus Alphonsus de Fonseca, Præsul Toletanus, flagranti animo id vestigaverit (utpote cui ex Pastoris officio iussa testatorum impleri facere incumbibat); nil tamen certi reperire potuerunt. Salva tamen meliori sententia, videtur originem duxisse ex cap. et hoc attendendum, de consec. dist. 1, ubi sic habetur. *Et hoc attendendum, ut Missæ peculiare, quæ per dies sollemnes à Sacerdotibus fiunt, non ita in publico fiant, ut propter eas populus à publicis Missarum sollemnibus, quæ hora tertia canonicè fiunt, abstractur; sed Sacerdotes, qui in circuitu urbis, aut in eadem urbe sunt, et populus in unum ad Missarum publicam celebrationem conveniant.* Nam etsi argumento quodam posset aliquis im-

im-



impugnare, non ob illum textum Missas peculiare illis diebus licere relinquere, eo quod sacellani possent in secreto ante horam tertiam canonicam, aut post peractum Missæ sollemnis sacrificium celebrare; neutrum tamen fieri permittitur: alterum, quia omnes Templi capellæ sunt patentes, alterum, eo quod his diebus prope meridiem sæpe divina in hoc templo peraguntur: cum sane difficile foret, officiis divinis sacellanos convenire; <sup>(1)</sup> ideo arbitror gratiam omnibus factam fuisse. Dies vero sollemnes, quæ in hoc sacro Templo *de Gratia* appellantur, sunt Pascha, Natalis, et Ascensio Domini, natalis S. Ioannis Baptistæ, atque alii huiusmodi, ut in cap. si quis etiam, de cons. dist. 1. Quæ si vera sunt, male agunt sacellani, qui, gratia fungentes, neque in supplicationibus, quæ per hos dies sollemnes habentur, neque in choro divinis officiis intersunt. Singuli autem sacellani huius Sacelli in qualibet tertia anni parte sexaginta quattuor Missas tenentur celebrare. Præclara vero Regina domina Catharina, Enrici III. uxor, octo alios sub præcipuo instituit sacellanos, qui etiam obnoxii sunt singuli singulis anni tertiis quinquaginta sex Missas celebrare, ci-

(1) Unusquisque abundet in suo sensu: mihi quidem compertum est hos dies, qui appellantur gratiæ, esse sollemniores in Ecclesia matrice, in quibus omnes tenebantur iuxta antiquam disciplinam processioni et Missæ maiori assistere. Cumque exorta fuisset controversia inter canonicos, portionarios, et capellanos regios, quo in loco deberent in processione incedere, nec aliunde inter se convenirent, factum est, ut dies gratiæ remanerent capellanis regiis, etiamsi pro-

tra communem, quæ per aliquem ex sacellanis vicissim quotidie, aliis psallentibus, ad primum cymbali sonum (quod de prima dicitur) hoc ordine decantatur: Dominica, de Trinitate: feria secunda, de Spiritu Sancto: feria tertia, de S. Dominico: feria quarta, de D. Ioanne: feria quinta, de Sancto Sacramento: feria sexta, de Cruce: die sabbati, de Beata Maria. Incumbit præterea eisdem, nocturnum defunctorum psallere, sine laudibus, ad primam vespertinarum precum pulsationem, præter decem et octo anniversaria, quæ quottannis pro animabus dictæ Regi-næ et coniugis celebrantur. Sunt et alii duo capellani, Enrici III. nuncupati, quorum quilibet centum nonaginta duas Missas tenentur unoquoque anno celebrare, quibus stipendium prædictus capellanus maior persolvit ex ordinatione et mandato illustrissimi domini Ioannis II, eiusdem Enrici filii. Omnes vero triginta quinque sacellani habent Sacrarium commune, ubi asservantur ornamenta, inter quæ omnia potissimum est crux quædam aurea, magno quidem pretio æstimanda, variis gemmis inserta, quam Regina Catharina christiani cultus studiosissima lubenter donavit. Adstant quoque divinis of-

fessionibus non interessent. Hodie cernitur in Ecclesia Toletana aliud exemplum simillimum; nam si tempore festivitatis SS. Corporis Christi concursus oppositorum fiat ad Beneficia curata, et adsint in civitate plurimi Parochi huius Archidioceseos, eis indulgetur, ut processioni, superpelliceo induti, non assistant, quia capellani numerarii S. Ecclesiæ Matricis nullomodo permittunt illos in processione cum ipsis permisceri.

ficiis duo clavigeri, regalia sceptrā tenentes; totidemque æditui, alter quidem dicitur Regum, alter vero Reginæ, cum tribus sacrificulis. Hanc insuper pulchram capellam pulchriorem vitreæ fenestræ pellucentes reddunt. Eius lapideæ testudines totæ fere cum sepulcris et parietibus lineis distinctæ sunt aureis.

CAP. XXVIII.

*De Sacello Beati Iacobi.*

Quod sequitur Divi Iacobi, magnifici templi instar habet ædificium, solum ex toto Basilicæ ambitu tribus aditibus pervium. Quod olim arte et structura eleganti condere cœpit<sup>(1)</sup>, dum fata manebant, dominus Alvarus de Luna, Magister militiæ Spathæ, et Castellæ Comestabilis: fecitque sibi monumentum æneum<sup>(2)</sup>, et eidem propriam eiusdem materiæ statuam affixit. Quæ iussu Infantis domini Enrici, filii tertii Ferdinandi Aragonum Regis, qui Comestabilem maximo prosequatur odio, diruta sunt; Hispani enim filios Regum post primogenitum Infantes appellant. Ex monumento autem et

statua sacrum baptisterium huius sacrosanctæ Ecclesiæ fuit conflatum; seu duæ bombardæ, ut habetur in chronicis Hispaniarum, quas citat commentator metrorum Ioannis de Mena, linguæ nostræ vernaculæ insignis poeta, in metro 264 et 265; de eo enim ab eodem poeta in eo loco mentio fit. Nonnulli tamen, et forsitan rectius, prædictum baptisterium, ac etiam pulpitem, è quo conciones ad populum fiunt, esse conflata asseverant. At dictus Alvarus de Luna infausta acerbaque morte præreptus<sup>(3)</sup>, Sacellum hoc imperfectum sine proventu reliquit. Postea domina Ioanna Pimentel, illius uxor, reditum constituit tribus sacellanis, qui singuli quolibet mense undecim Missas pro eius et mariti animabus celebrarent. Eorum corpora latent in huius Sacelli antro, una cum cadaveribus parentis Alvari de Luna, et Petri de Luna patruī Toletani Archiepiscopi, necnon Ioannis Cerezuela, fratris uterini eiusdem Alvari de Luna, Archiepiscopi etiam Toletani, in cuius Antistitis tumulo hoc distichon inscriptum est, ex Boethio lib. de consolatione desumptum, quod

Iii qui

(1) Priusquam Alvarus de Luna, Comestabilis, inciperet ædificium, quod hodie cernitur, capellæ S. Iacobi, iam erat eodem loco constructa capella S. Thomæ Cantuariensis, et in memoriam huius foundationis conservatur illius effigies in maiori altari, et Capitulum stationem facit in die sollemnitatis S. Thomæ ad prædictam capellam. Licet enim Capitulum cum suo Præsule acquieverit placito Comestabilis, noluit tamen abolere memoriam antiquioris fundatricis, quæ fuit domina Eleonor Regina, et uxor Alphonsi VIII.

(2) Verissimum est Alvarum de Luna magnificentum æneum monumentum sibi et

uxori in præfata capella erexisse, quando illi prospere cuncta eveniebant, illudque penitus dirutum iam esse. Et licet sententiæ Scriptorum varias in partes abeant, tamen æs monumenti, et statuæ conflata, absdubio sive baptisterio, sive ambonibus, sive utrisque, sive etiam bombardis deservierunt; maximæ etenim molis erat sepulcrum, et oculis Regis aversabatur.

(3) Vallisoleti in patibulo fuit decollatus; et quamvis noster canonicus Salazar de Mendoza apologiam Alvari de Luna, haud levibus fundamentis ductus, typis dederit, alii tamen hæsitant de quibusdam actionibus eius, quæ iudicio Dei notæ sunt.



quidem magis Comestabili congruere videtur.

*Quid me foelicem totiens iactastis amici:  
Qui cecidit, stabili non erat ille gradu.*

Non tamen abs re distichon est monumento superadditum; prima enim ruina Comestabilis Alvari de Luna eius fratris, è regia curia in exilium eiecti, paucis diebus ante Archiepiscopi obitum acciderat. Monumenta autem eorum marmorea, extrenueque excisa, duo Comestabilis et dominæ Ioannæ Pimentel coniugum in medio Sacelli pavimento; reliqua vero intra concava parietum apparent. Dominæ etiam Elviræ de Fuensalida institutione in eodem Sacello quinquies unaquaque septimana divinum peragitur sacrificium ab uno ex portionariis non alienæ capellæ astricto, cui pariter et aliis, quos prædiximus, unicus ædituus exhibet ministerium.

#### CAP. XXIX.

##### *De Sacello Sancti Alphonsi.*

**H**uic connexum est Divi Alphonsi Sacellum, ubi sub auroræ exortum Missa ea de re celebris, in honorem Sanctissimæ Virginis dedicata, peragitur, quæ vulgo à Sacelli nomine Divi Alphonsi appellatur, à domino Roderico To-

letano Archiepiscopo, qui historiam Hispanicam conscripsit, instituta. Iacet in hoc Sacello corpus domini Ægidii de Albornoz Cardinalis, Toletani Archiepiscopi, ducisque generalis Ecclesiæ Romanæ, qui patrimonio Beati Petri urbes multas, et municipia (ut diximus) restituit<sup>(1)</sup>. Cuius cadaver ex Assisio humeris piorum hominum, concessa indulgentia, in natali Sancti Bartholomæi huc evectum, in media Sacelli parte marmoreo monumento situm est. Eodem vero die singulis annis per dominum Decanum et Capitulum anniversarium in memoriam tanti Præsulis agitur, cui ob eius inclita facinora Ecclesia nostra hoc præstat beneficium; die enim sollemni nullum anniversarium in hoc sacro Templo celebrari consuevit. Corpus præterea domini Ioannis à Contreras, Præsulis itidem Toletani, in concavo parietis septemtrionalis eiusdem Sacelli conditur: obiit autem 16 die Septembris, anno à Christo nato 1434. Est et aliud sepulcrum admodum celebre in pariete meridionali, ubi iacet cadaver domi-

ni

(1) Sedes Pontificia, quæ spatio annorum septuaginta Avinione resederat, iterum Romæ restituta fuit industria, armis, et virtute Ægidii de Albornoz, qui Bononiæ maius S. Clementis Hispanorum collegium erexit, et dotavit, ipsamque civitatem auxit, exornavit, et aquæductum, aliaque id generis opera publica munificentissime perfecit.

Summus Pontifex, ut corpus prædicti

Cardinalis humeris hominum Toletum deferretur, indulgentiam plenariam cunctis, etiam ad modicum tempus illud portantibus, concessit; cumque Rex ipse Henricus II. Toleti degeret, humerum etiam applicuit, ut illo beneficio spirituali potiretur. Usque in præsens Bononia civitas et fere tota eius provincia Ægidiana constitutione regitur, ut videre est in Cardinali Petra in commentario illius constitutionis.

ni Alphonsi de Albornoz, Episcopi Abulensis, nepotis domini Ægidii de Albornoz. Cuius Episcopi impensis duo sacellani singulatim centum quinquaginta sex Missas quotannis celebrare tenentur. Alius itidem tumulus in pariete eodem meridionali cernitur, ubi iacet dominus Íñigus à Carrillo, atque Mendoza, Sardiniae insulae Prorex, domini Ægidii de Albornoz nepos, frater dicti Episcopi Abulensis, cuius statua armata tumulo superimposita est: obiit enim in castris Granatensibus anno Domini 1491. Alia etiam capellania est in hoc Sacello ab Alvaro de Iarava Scholastico Conchensi, et à Petro Ramirez Scholastico Toletano, dicti Cardinalis familiaribus, cum officio trium Missarum in qualibet hebdomada instituta, quorum cadavera in eodem Sacello sepulta sunt. In quo duo aeditui, alter primae lucis Missae, alter ceteris omnibus deserviunt<sup>(1)</sup>.

CAP. XXX.

*De Sacello SS. Trinitatis.*

Sanctissimae Trinitatis Sacellum huic proximum, iam ruinosum, vi-

vens refecit admodum Reverendus Guterrius Diaz, canonicus Toletanus, sub statua propria in pariete ibidem tumulatus. Ubi quotidie Missa peragitur à duobus sacellanibus hebdomadatim celebrantibus, per eundem Guterrium Diaz assignato redditu, instituta. Qui prudentia et pietate insignis, in suo testamento annum censum reliquit, ad emendum frumenta quotannis, per duos ex canonicis egenis verecundis distribuenda: addidit tamen, ne quis ad id deputatus, plures octo, aut pauciores quattuor tesseras frumentarias (quas *hanegas* vulgo dicunt) pauperibus hisce tribueret, ut ex titulo in pariete meridionali inscripto constat, idque litteris apostolicis roboravit.

CAP. XXXI.

*De capella S. Nicolai.*

Prope est parvula quaedam ianua, supra cuius limen structa eminent aedícula, Divo Nicolao exactae sanctitatis et fidei sacra, ubi legitur epitaphium Nuñii Didaci, Archidiaconi Talaverenensis, in marmore parieti inserto litteris versicoloribus incisum huiusmodi.

*Hac tumba tectus Nuñius Didaci iacet rectus,*

*Dogmate provectus, virtutum culmine vectus:*

*Nomine fabilis, estque amabilis, opere charus,*

*Genere, munere, fœdere, funere, indole clarus:*

*Archidiaconus nobilis Talaveræ vocatus,*

*Qui pius populis migravit ad alta beatus:*

Iii 2

No-

(1) Descriptio altaris S. Ildephonsi cum imagine descensionis Beatæ Mariæ, et S. Ildephonsi, à peritissimo artifice Emanuele Alvarez facta, nimis diffusam exposcebat narrationem, à peritis architecturæ, et sculturæ faciendam: qui igitur voluerit perspicere, quo attigerit in

arte sua Hispanus artifex, accedat ad Ecclesiam, et certe mirabitur. Forma superat opus, non verò materia, licet constet ex omni genere marmoris, et æris deaurati. Omnia iussu nostro expensis fabricæ S. Ecclesiæ elaborata sunt.



*Nobiles sapere habiles opere hicque dilexit,  
Quos prædicatores orbis deus sine direxit :  
Obiit Augusto mense dies ante triginta,  
Mille trecentis annis octo quadraginta.*

In hoc Sacello duo sunt sacellani, quorum quilibet quinque Missas in septimana celebrare tenetur: alter pro Cardinalis domini Gundisalvi; alter vero pro Archidiaconi Mantuani animabus. Dicta autem parvula ianua aditus est pueris ad scholam, ubi sub magistro musicæ dant operam<sup>(1)</sup>, ad aliasque plures cellas, Ecclesiæ ministerio destinatas. Nam iuxta scholæ ianuam scalæ assurgunt, quibus ascendimus ad locum, in quo cera dumtaxat in hac alma Ecclesia distribuenda conficitur, et præparatur in aprico quodam magno, quod fenestris lateritiis, orientem solem spectantibus, extrinsecus pulchrum apparet. Intra scholam puerorum latet cubiculum, ubi hebdomatici clericuli, noctu ad matutinas horas surrecturi, dormiunt<sup>(2)</sup>. Inferius iuxta aditum se offert rationarii huius sacri Templi cellula, qui redditus et chirographa ad fabricam pertinentia, fabricæque impensas fideliter scribit. Non longo abhinc tractu quibusdam scalis descendimus ad impluvium, ubi lapidæ Ecclesiæ artem suam exercent; estque ibi posticum viam publicam versus ad lapidariorum egressus ingressusque copiam.

(1) Hac in Ecclesia præter cantum planum, quem denominamus Toletanum, est alius cantus melodicus, quem appellamus Eugénianum; et recte, nam originem ducit à S. Eugenio III. Præsule Toletano, qui cum esset musicæ peritissimus, cantus

## CAP. XXXII.

*De capitulo, seu conclavi, ubi Archipræsul et canonici ad Ecclesiæ gubernationem congregantur.*

Conclave, seu (ut nostri volunt) capitulum deinde sequitur, ubi Illustrissimus Archipræsul, Decanus et canonici ad Ecclesiæ gubernationem et ministerium suo ordine consistunt. In quo iam non, ut in reliquis ædificii partibus, artificum manus laudemus, sed provi-  
dæ administrationis commoda admiremur. At si quis velit exteriora (quæ patent) contemplari, inveniet imprimis vestibulum, ubi quondam fuit Beatæ Elisabeth de Ungaria Sacellum: quod forsitan nobilis quidam vir, nomine Cyprianus, cum coniuge propriis ædificavit sumptibus, de quo titulus, ad Sacelli fornix in hunc modum scriptus, quodam modo testificatur: *Cebrian é su muger fecieron estas bobadas.* Quæ verba quemadmodum se illic habent, referre volui, ut in eis maiorum simplicitatem consideremus. Cum enim Cyprianus hic dictum Sacellum erexerit, seu verius hanc Templi partem suis ipse expensis conca-  
meraverit, cognomen inscribere in

melodicus, pessime corruptos, emendavit, et pueros, seu clericellos edocuit.

(2) Hodie separatim clericelli extra Ecclesiam habitant in domo magistri à Capitulo deputati.

in titulo noluit, nomine tantum baptismali contentus. Huius videtur esse sarcophagum marmoreum, quod, iuxta valvas capituli parieti meridionali adhærens, porphyriticis columnellis innititur. Inter hoc monumentum,<sup>(1)</sup> ac primum conclavis ostium, apparet cellula, ubi quidam sacellanus crebro adssistit, vinum et hostias omnibus ferme, in hoc sacro Templo celebrantibus, expensis dominorum Decani et capituli impartiens. Prope conclavis primum ostium residet sceptrifer (qui et perticarius), recipiens venientes ad negotia; et nunciat dominis Decano et canonicis, ut de illorum mandato, cum expedierit, eos intromittat, aut vocet quoscumque iussus fuerit. Sceptriferi vicem (eo absente) alter pro Ecclesiæ ministerio agit, ac citationibus aliisque negotiis tribunalis Archiepiscopi inservit. In limine superno exterioris ianuæ visitur effigies Beatæ Mariæ Virginis, Redemptorem nostrum in suo gremio foventis. Continuo se offert atrium, pulchrum, speculari fenestra meridionali illustratum; eius vero parietes intrinsecus variis fruticum figuris virent. Deinde sequitur senatus, alia etiam fenestra meridionali illustratus, eiusque parietes, undique Sanctorum imaginibus et historiis mirifice depictis

vestiti, apparent admodum speciosi. Laquearia senatus, atque atrii, perpulchro artificis opere elaborata, auro splendescunt. In huius senaculi fronte contra valvas locum tenet sublimiorem Archiepiscopi sedes, quam hinc inde circumstat canonicorum geminus ordo sedilium. Supra quæ imagines præteritorum Archipræsulum perquam graphice sunt depictæ; adeo ut spirare protinus credat is, qui non prius pictas cognoverit. Horum Sancti ab aliis aureo diademate, mitra Archiepiscopali incluso, distinguuntur.

## CAP. XXXIII.

*De nominibus Archiepiscoporum huius sacri Templi ad nostra usque tempora.*

**N**e tuam celsitudinem lateant nomina Archipræsulum nostræ Ecclesiæ ad usque nostra tempora præteritorum, dignum duxi, eadem serie, qua in capitulo sunt posita, recensere.<sup>(2)</sup> A Divo igitur Eugenio Martyre, qui primus huius almæ Ecclesiæ fuit Antistes, exordiamur; ac de ceteris deinceps, prout ordine suo post ipsum sunt secuti. Pelagius, Patrunius, Turibius, Quintius primus, Vincentius, Paulatus, Natalius, Audentius, Asturius, Isitius, Maiori-

(1) Hæc omnia immutata sunt, et in meliorem formam redacta.

(2) Hæc series Præsulum est admodum imperfecta, et in multis deviat ab ea, quæ in aula capitulari est posita, magis correctæ à clarissimo viro domino Ioanne Baptista Perezio Valentino, canonico Toletano, et fabricæ Ecclesiæ Præposito, postea Episcopo Segobricensi, qui in perscrutando archivio, Bibliotheca, et Conciliis Toleta-

nis multum insudavit: quem, etsi annotationes, et opera sua prelo non dederit, auctores tamen emunctioris naris usque ad cælos extollunt, et Cardinalis de Aguirre merito fatetur maxime ad suam collectionem Conciliorum sibi deservisse. Ut ergo in posterum series Præsulum clarius appareat, supra in hoc III. tomo illam subiecimus una cum serie Conciliorum Toletanorum, Regum, et Reginarum Hispaniæ.



rinus, Castinus, Campeius, Sintatio, Praumatius, Petrus primus, Ceisivis, Montanus, Iulianus primus, Bachandus, Petrus secundus, Eufemius, Excipius, Adelpius, Aurasius, Sanctus Heladius, Iustus, Eugenius secundus, Eugenius tertius. <sup>(1)</sup>Et quamvis dies natalitius huius Eugenii à nostra Ecclesia non celebretur, propterea forsitan quod catalogo Sanctorum adscriptus non fuerit; Didacus tamen de Valera historicus in 3. part. chronicorum cap. 3: Ioannes Iason in vitis Sanctorum, cum de sanctimonia, moribus, et vita Divi Alphonsi tractaret, crebro Eugenium tertium Sanctum appellant. Et communis sermo inter Toletanos cives habetur: Eugenium agnatum Divi Alphonsi, candidissimæ Virginis sacellani, fuisse Sanctum; quem, cum sanctissime vixerit, divina fruitione lætari, non ambigendum est.

Sanctus Ildephonsus obiit anno 664: Quintius, sive Quiriacus, aut Cyriacus: Sanctus Iulianus obiit anno 680: Felix: Sisibertus, aliàs Sicarius: Guterrius, Sinderedus primus, Sugifredus, Concordius, Exilanius, Eupandius, Hinistrentius, Sinderedus secundus. Oppas Hispalensis fuit hoc tempore, cuius prodicione et astutia, ut in nostris historiis habetur, utraque Hispania in barbarorum ditionem ve-

nit. Bernardus, qui fuit primus Archiepiscopus huius Ecclesiæ, postquam Toletum restituta fuit Christiano cultui: Raymundus, antea Oxomensis Episcopus: Ioannes primus, Celebrunus, Gundisalvus primus, Petrus de Cardona, Martinus, Rodericus, Ioannes secundus, Guterrius primus, Petrus filius Regis Castellæ, Paschasius. Sanctius, filius Regis Aragonum, claruit tempore Alphonsi Regis, cognomine Sapientis, qui composuit septem partitum opus (quod Hispanice dicitur *siete Partidas*). Hic Præsul inclitus in humanis agens fidei zelo contra Saracenos in confinibus Bæticiæ tribunus maior militum Regis Alphonsi fuit. Qui, dum incautus in hostes irumpens, milites suos antecederet, captus, obtruncatusque fuit. Nam cum singuli duces vellent captivum Præsulem in triumphum habere, ne inter ipsos dissensio oboriretur, quidam ex eis caput Antistiti ense falcato amputavit. Postmodum vero huius Primatis corpus delatum fuit Toletum, sepultumque prope Regum veterum monumenta, quæ (ut diximus) in proprio Sacello erant illic, ubi nunc altare Basilicæ præcipuum est; supra cuius tumulum hæc erant inscripta carmina, iure Regibus Principibusque memoriæ mandanda.

*Sanctius Hesperiae primas ego regia proles  
Aragonum: iuvenis sensu feror hostis in hostes.  
Turbidus, incautus, mihi credo cedere cuncta.  
Nec minimum fallor, quia credens vincere vincor.*

Sic

(1) De tempore, ex quo Eugenius III. in Ecclesia colitur universali, et Toletana,

verba fecimus in serie Archiepiscoporum huius Ecclesiæ Primatis.

*Sic quasi solus ego pereo ; dat dogma futuris  
Mors mea , ne dominus præcedere Marte sit ausus.*

Continuo successit Gundisalvus secundus Cardinalis , Ximenez, Gundisalvus tertius, Guterrius secundus , Ægidius de Albornoz Cardinalis , prius Archidiaconus Calatravensis : Blasius , Vascus à Toledo , Gometius Manricus , Petrus Tenorius tertius , Petrus de Luna quartus , Sanctius de Roxas secundus , Ioannes de Contreras tertius , Ioannes de Cerezuela quartus , Guterrius à Toledo tertius , Alphonsus secundus cognomento Carrillo , Petrus de Mendoza quintus , Cardinalis Sanctæ Crucis in Hierusalem , Patriarcha Alexandrinus &c. Fr. Franciscus Ximenez à Cisneros , Cardinalis Sanctæ Balbinæ , Hispaniæ Governator , Africæque debellator : obiit octavo Novembris , anno Domini 1517 : Guillelmus de Croy primus , Cardinalis , Episcopus Cameracensis , natione Flandrus : obiit in Germania , non visa Hispania , 11 Ianuarii , anni 1521. Alphonsus de Fonseca tertius , vir pius et clemens : obiit quarto Februarii , anni 1534. Ioannes Tavera quintus , Cardinalis tituli Sancti Ioannis ante portam latinam , vir prudentia et temperan-

(1) Veteri ex disciplina monastica descendit mos ille servatus nostra in Ecclesia habendi concionem , seu homiliam in aula capitulari , finita hora prima , in qua Præsul , si adfuerit , et in absentia illius Decanus , vel qui Capitulo præsit , hortatur ad observantiam silentii in choro , cæremoniarum , et mutuæ caritatis inter fratres capitulares ; mentionem faciens ante quadragesimam antiquæ severioris disciplinæ : in Resurrectione Dominica temperantiæ in lætitia , epulis , et comessationibus , et prout viderit magis expedire. Latina vero oratio

tia eximius : obiit calendis Augusti , anni 1545. Cui Reverendissimus dominus Ioannes Martinus Siliceus , tuæ celsitudinis magister , confessor , et maior sacellanus , perquam digne successit , qui in hac Archiepiscopali gubernatione (nisi interim te auctore ad summum pontificatus fastigium pervenerit) Nestoreos feliciter vivat annos.

CAP. XXXIII.

*De concionibus quæ in hoc sacro sancto Templo habentur.*

Sed priusquam ab hoc loco discedamus , admonere lectores volumus , statis quibusdam diebus quotannis in hoc amplissimo capitulo<sup>(1)</sup> conciones publicas latine haberi , quibus privatim beneficiarii , et postremo universa turba ad honestatem et virtutem admonentur. Prima concio XVI. kalendas Novembris habetur (qui dies sacer Divo Lucæ est) à grammaticæ artis professore : ad bonas artes cæpessendas universi auditores incitantur , quoniam ab eo die publico studiosorum consensu studiis et litterariis vigiliis acrius incumbitur ;

ac antea , post expulsionem scilicet Mauro- rum , à canonico fieri solebat ; postea vero introductum fuit , ut à collega , seu clericello pronunciaretur. Quoniam priscis Ecclesiæ sæculis monasteriorum Abbas monachos homilia quadam præfatis diebus adhortabatur ad observantiam disciplinæ monasticæ , quod etiam nunc servatur in aliquibus monasteriis : et licet canonici nostræ S. Ecclesiæ votis sollempnibus monachorum nusquam fuerint obstricti , tamen quasdam consuetudines monachorum Benedictinorum , qui è Gallia venerunt , retinent.



ac proinde oratio in laudem scientiarum dicitur, consensu suggesto, si forsan Præsul adesse contigerit; sin minus, in secundo gradu Archiepiscopalis sedis, pulvino purpureo desuper strato. Secunda, postridie festi omnium Sanctorum, defunctorum memoriæ tribuitur, quam Decanus, aut ab illo subrogatus, quemadmodum et reliquas, de quibus dicemus, habiturus est. Tertia diem Cinerum sibi vendicat, ubi de rerum humanarum contemptu agitur: habetur hæc statim ut preces orariæ (quæ primæ in choro dicuntur) finitæ sunt. Suscipiunt hanc alia, quæ ad diei religionem pertinent; et demum altera Hispana concio, quam universus populus congregatus audit in loco, ubi de more fieri consuevit. Hoc ideo dixerim, ut Ecclesiæ nostræ pietas innotescat, quæ ferme sub eodem tempore duabus concionibus, alteræ latinæ, alteræ hispanæ operam dat. In hebdomada sancta duæ itidem die Iovis, et die Sabbati recitantur, quarum altera ultimam Domini nostri cœnam, qua augustissimum illud Sacramentum institutum est; altera sepulturam Dominicam commendat. Feria secunda post Resurrectionem lætitia de Christo vivente concepta, et spes futuri sæculi concionatori declamanda est. Claudit numerum Deiparæ, et Intemeratæ Virginis Assumptio, nam postridie eius diei de ea re concio habenda est. Convenitur ab omnibus beneficiariis ad eas audiendas, neque abesse sine mulcta licet. Et quoniam concionum, quæ latino sermone habentur, mentionem fecimus, non abs re erit, et

de hispanis non nihil recensere: ad quas adeo frequenti, et assidua turba convenitur, ut facile quisque coniecturam inde faciat huius urbis devotionis et pietatis. Quæ præfinitæ et statæ habentur, omnes numero quinquaginta novem sunt: ex quibus triginta septem loco publico et celeberrimo, ad eos usus nimirum structo, recitantur: is est eminens illud, et porphyriticum suggestum, quod à parte sinistra maioris Sacelli collocatum esse diximus. At quæ supersunt viginti duo, summo mane ad primum cymbali sonum privatis Sacellis, aut locis aliis sacratis dicuntur, quales permulti in columnis Templi sunt: nam cum olim pilis eisdem altaria adhærerent, maioribus nostris Templi spatium prudenter dilatantibus, monumenta solum remansere, Divorum memoriam tantummodo observantia, ut cap. de oratoriis patebit. Rursus ex illis triginta septem, quæ magis publicæ et graviores sunt, nec quibusvis temere commissæ, viginti sex monachorum cœnobia, quorum magna copia in urbe nostra est, more maiorum iam olim sibi vendicant. Series vero (prout annus volvitur à Dominicis adventus inchoantibus) talis quædam præscripta est: prima adventus Dominica cœnobia Divi Petri Martyris, quod Prædicatorum est, conceditur: secundam deinde Divi Francisci asseclæ obtinent: tertiam monachi Divi Augustini: quartam Carmelitæ: quo ferme ordine usque ad Virginis Sanctissimæ Nativitatem, quæ VI idus Septembris recolitur, à viris eorundem cœnobiorum, doctis pariter et religiosis, ad  
Dei

Dei laudem tandem eloquia sacra absolvuntur. Undecim alia festis aliquot de more diebus à viris theologis, quorum vita et doctrina spectata sit, recitantur. His poteris et aliam numerare concionem, quam universum Capitulum singulis hebdomadibus quadragesimæ tempore commendat, quæ certo quodam (prout ipsis videtur) die publico illo suggesto pronuntiatur: præter has adhuc, singulis quadragesimæ hebdomadis, feriis secunda, quarta, et sexta, in claustro, matutino tempore, ad tertium cymbali ictum, à Divorum Dominici, Francisci, et Augustini asseclis (iuxta præscriptum superius ordinem) conciones non minori frequentia habentur, ut urbs nostra populosissima est, quam quæ postea pro rostris pronuntiantur, hoc est, loco illo amplissimo et gravissimo, ubi suggestum porphyriticum cernitur. Dominicis vero eiusdem quadragesimæ diebus statim post meridiem, spatio, quod inter portam Indulgentiæ et chorum beneficiorum est, Sanctæ Trinitatis monachi (qui cruce insigniti sunt) concionaturi de more accedunt, ligneo suggesto ad tempus appposito; maioribus nostris, quibus magna pietatis cura fuit, hoc unum contendentes, ut omnium ordinum hominibus, omnisque sexus, et cuiusvis tribus, evangelica doctrina ferme omnibus diei horis declaretur.

(1) Gundisalvus II. Garcia Gudiel, patria Toletanus, et S. Ecclesiæ Archidiaconus Titularis, postea Episcopus Conchensis, inde Burgensis, avunculus fuit alterius Gundisalvi Diaz Palomeque, Præ-

CAP. XXXV.

*De Sacellis Divorum Ægidii, Ioannis Baptistæ, ac Beatæ Annæ matris sanctissimæ Virginis Mariæ.*

Statim sequitur Divi Ægidii Sacellum, ubi quattuor capellaniæ habentur: prima à femina quadam, Hispana lingua *doña Sol* nuncupata, instituta, cum quinque Missarum occurrentis diei officio in qualibet hebdomada: altera à domino Raymundo, canonico Toletano, sub cura centies et quinquies annuam peragendi celebrationem: tertia ab Alvaro Lupo, Toletano canonico, cum officio centum nonaginta quinque Missarum quotannis celebrandarum: quarta denique sub duarum et quinquaginta quotannis Missarum cura, à Petro Fernandez de Villalobos, canonico itidem Toletano, relicta est.

Continuo se offert Sancto Ioanni Baptistæ sacer locus, ubi dominus Gundisalvus<sup>(1)</sup> bonæ memoriæ Archiepiscopus Toletanus, qui ex omnibus huius almæ Ecclesiæ Præsulibus primus (ut fertur) apicem Cardinalatus obtinuit, quinquies pro defunctis in hebdomada rem divinam faciendam iussit. Deinde doctor Fernandus Diaz, Archidiaconus Nebulensis, ac Toletanus canonicus, Præfectus Sacello, quod novorum Regum dicitur, quattuor instituit hic Missas hebdomadatim celebrari pro animabus Regum et Reginarum in

Kkk Sa-

sulis Toletani, qui ei immediate successit. Hæ familiæ Gudiel et Palomeque inter perillustres Toletanas Mozarabes numerantur.



Sacello sitorum , cui ipse præfue-  
rat , necnon Fernandi Aragonum  
Regis , et Leonoræ illius coniugis.  
Duodecim præterea quotannis an-  
niversaria , quæ postea auctoritate  
apostolica ad duas tantum Missas  
in septimana , anniversaria vero ad  
octo dumtaxat redacta sunt. Tria  
ad hæc festa , scilicet , Divi Gre-  
gorii, Sancti Fernandi , alias Sancti  
Antonii de Padua nuncupati , et  
conversionis Beati Pauli celebra-  
nda reliquit. Item in ultimis men-  
sium quorumlibet Sabbatis Missam  
defunctorum sollemnem per sacel-  
lanos , novorum Regum adpella-  
tos , cereos albos in manibus ha-  
bentes incensos , celebrandam in-  
stituit. Tandem quovis anno tertia  
die Octobris anniversarium in me-  
moriâ dicti Fernandi Diaz , Ar-  
chidiaconi , ab Ecclesiæ proceribus  
agitur. Ipsius vero Archidiaconi ce-  
lebre monumentum in concavo  
parietis orientalis huius Sacelli cla-  
thris ferreis custoditur. Quod Sa-  
cellum observandis eius ornamen-  
tis recessum continet , in cuius ara,  
ibi Divo Britio dicata , quattuor  
Missæ singulis hebdomadis à Ca-  
tharina domina oppidi, *de Solera*  
dicti , institutæ pro anima eius et  
suorum recitantur. Ædituus autem  
huius capellæ à primo sono tinti-  
nabuli , quod dicitur de prima, ad  
usque peractum Missæ maioris of-  
ficium ornamenta ceteraque divi-  
no cultui necessaria cunctis ibidem

celebrare volentibus tenetur mini-  
strare.<sup>(1)</sup>

Statim Beatæ Annæ Sacellum  
sequitur , ubi duæ capellaniæ per  
Reverendissimum dominum Ro-  
dericum , Archiepiscopum Toleta-  
num , institutæ sunt : prima pro  
animabus domini Fernandi Regis,  
et eius matris dominæ Berengariæ,  
cum cura quinque Missarum in se-  
ptimana ; altera etiam cum toti-  
dem Missis pro animabus paren-  
tum et fratrum eiusdem domini  
Roderici.

#### CAP. XXXVI.

##### *De Sacello Regum veterum nuncupato.*

Proximum huic est Sacellum San-  
ctæ Crucis , quod aliis etiam duo-  
bus nominibus appellatur : scilicet  
Spiritus Sancti , eo quod hic olim  
solebat esse Sacellum Sancti Spi-  
ritus ; et Regum vetustorum<sup>(2)</sup>,  
propterea quod in eo pro dictorum  
Regum animabus divina peragun-  
tur officia : fuitque primitus ædifi-  
catum sub invocatione Sanctæ Cru-  
cis in loco , ubi nunc præcipuum  
Ecclesiæ altare situm est , indeque  
causa ampliandi chori sublatum,  
huc , ubi cernitur , translatum fuit.  
Corpora vero clarissimorum Re-  
gum , qui ipsum fundavere , iuxta  
dictum maius altare super fornici-  
bus extrenue elaboratis ( ut supra  
diximus ) iacent sepulta , quod ex

(1) Hoc Sacellum S. Ioannis Baptistæ de-  
servit officiis capellanorum S. Ecclesiæ si-  
mul cum sacristia.

(2) Hoc Sacellum Regum veterum con-  
structum fuit ab Archiepiscopo Gundisal-  
vo Diaz Palomeque , ut sibi et eius pro-  
pinquis ad sepulturam deserviret ; et cum  
capellani Regum veterum huc translati

fuerint , et stemmata Archiepiscopi subla-  
ta , eiusque in locum regia collocata , cor-  
pora Archiepiscopi , et cognatorum eius  
inde fuerunt educta , et translata in pro-  
ximam capellam S. Lucie , ubi iacent abs-  
que ulla inscriptione , et à tergo loculo-  
rum ligneorum , qui deserviunt ad ser-  
vanda indumenta choralia canonicorum.

titulo, in pariete huius Sacelli Hispanie exarato, constat, qui ita se habet: *Esta capilla del rey don Sancho de gloriosa memoria fué fundada so invocacion de la cruz do está aora el altar mayor de esta sancta yglesia, y quedando los cuerpos de los reyes á los lados del altar, fué trasladada aquí por mandado de los cathólicos príncipes don Fernando y doña Ysabel nuestros señores en 18 de Enero de 1497 años.* Sacellum vero ipsum totum desuper testudineum est, habens in fornicis summitate duos arcus in modum crucis, in cuius medio sunt stemmata Regis Castellæ et Legionis, circulo aureo insignita. Continetque tria altaria orientem versus, erecta suis tabulis mire depictis, ac signis auratis decorata. Medium præcipuum est, ac Spiritui Sancto paracleto dicatum: dextrum vero Divo Joanni Evangelistæ: sinistrum autem Sanctæ Catharinæ; quod quidem altare olim Divo Michaeli sacrum esse solebat. Illustratur Sacellum duabus specularibus fenestris: altera supra pia signa altaris medii cernitur, Redemptoris nostri à mortuis resurgentis imagine, et sub eius pedibus regiis stemmatibus decora: altera in pariete meridionali Spiritus Sancti adventus in discipulos imagine effigiata splendet. Sedilia vero sacellanorum, ex nuceis tabulis confecta, parietibus hærent è regione ararum. Supra sedilia eminet aquila Cæsarea, biceps, servans in pectore insignia Regum Castellæ et Legionis. Continet dicta capella Sacrarium, ubi omnia eiusdem Sacelli ornamenta, atque alia ad

divinum cultum spectantia custodiuntur; in quo scalæ habentur, quibus ascendimus ad quoddam impluvium subdiale, ministerio Sacerdotum destinatum. Ipsi autem sacellani Missam quotidie sollemnem ad primum cymbali ictum, quod dicitur de prima, celebrare tenentur, ubi et claviger adsistit, regia sceptrata tenens. Ordo vero Missarum huiusmodi est: Dominica, Missa quinque plagarum: feriis 2, 3, 4, et 5, pro defunctorum Regum animabus peragitur: feria 6, de Sancta Cruce: die Sabbati, de Matre Virgine: et hic modus per totum annum habetur, exceptis sollemnibus diebus, qui (ut superius commemoravimus) de gratia appellantur. Præter eam vero Missam, quæ ab omnibus simul peragitur, quivis sacellanus tenetur pro eisdem Regibus et Reginis quotannis centum triginta duas Missas celebrare. Post meridianum autem tempus nullum hic divinum dicitur officium, dempta omnium Sanctorum sollemnitate, in qua pro dictis Regibus et Reginis ad primam pomeridianam horam officium defunctorum vespertinum cum tribus nocturnis et laudibus decantatur, quo peracto, præeunte sceptrifero, puerisque togatis crucem cereosque deferentibus, Presbyter, veste amictus funebri, procedit: quem reliqui Sacerdotes, horarias psallentes pro defunctis preces, sequuntur usque ad chorum augustiorem, ubi sub mausoleis iacent corpora regia, quibus aqua lustrali aspersione, omnes suo ordine ad Sacellum revertuntur. Porro sacellani (qui tredecim cum præcipuo sunt) sola provisione regia,



absque ulla apostolica, vel ordinaria collatione admittuntur. Clauditur denique sacellum clathris ferreis, utrimque circa verticem deauratis, in cuius culmine media est crux ferrea mediocris magnitudinis, undique etiam deaurata, infra quam videre est insignia Ecclesiæ, scilicet Virgineæ descensionis figuram in dextro latere, et in sinistro domini Alphonsi de Fonseca Antistitis, regiis interpositis stemmatibus. Inter extremos cancellos et aram contiguam scutum cernitur, epitaphium memorabile continens huiusmodi: *Aquí yace don Martin Martinez de Calahorra, arcediano de Calatrava, y canónigo de Calahorra, é fué electo en concordia para ser obispo de la yglesia de Calahorra y de la Calçada, é no lo quiso rescebir por honra de la yglesia de sancta María de Toledo: é finó nueve dias andados del mes de Abril año de 1368 años.* Ex quo (si animadverteris) et templi Toletani maiestatem excellentem, et dicti Archidiaconi bonitatem insignem facile agnoveris, qui, ne huic celebri ac sacræ Basilicæ iniuriam aliquo modo irrogare videretur, Archidiaconatu, nec ex uberioribus huius Ecclesiæ, contentus, tam illustrem, tamque opulentum Episcopatum (eius gloria minime illectus) acceptare noluit.

Prope est ara pilæ cohærens, Mariæ Virgini (quam *de Consolatione* appellant) dicata, per domi-

(1) In hoc Sacello erat altare ligneum pessimæ formæ, in cuius locum erectum est aliud marmoreum, optime elaboratum

num Gomezium Manricum erecta, quæ multis miraculis claruit: præcipue resurrectione puelli et femine, infectoris cuiusdam (ut ferunt) coniugis, quorum lignei loculi in perpetuam rei memoriam iuxta hanc aram pendent ad parietem.

### CAP. XXXVII.

#### *De capella Sanctæ Lucie.*

Sanctæ Lucie Sacellum<sup>(1)</sup> mox sequitur: in quo Reverendissimus dominus Rodericus Archipræsul duas instituit capellanas: alteram quinque Missarum in hebdomada pro anima Regis domini Alphonsi, qui Toletum ab Agarenorum manibus eripuit; alteram cum totidem Missis pro eius devotione. Accesserunt insuper aliæ duæ capellaniæ: prima quidem à domino Ioanne de Morales, Archidiacono Guadalaiario, cum officio ter in septimana rei divinæ faciendæ, altera vero à Francisco Fernandez, Cantore Secentino, sub cura centum quinque Missarum singulis annis, constitutæ. Dictus Ioannes de Morales apud Toletum pontem<sup>(2)</sup>, de Guadaiaraz nuncupatum, propriis struxit expensis, quem Capitulo huius almæ Ecclesiæ reliquit. Quattuor in hoc Sacello habentur sepulcra: unum in ipso ferme ingressu ad latus sinistrum, brevibus è iaspide suffultum columnellis, superaddito hoc epitaphio:

G.

tum, cum imagine S. Lucie.

(2) Pons iste dirutus cernitur.

*G. miles Didaci iacet hic heu morte rapaci:  
 Ob cuius letum tristatur tota Toletum.  
 Dapsilis, et charus, humilis, pravis bene rarus.  
 Omnibus hic gnarus, præclaro sanguine clarus.  
 Mitibus hic mitis, tamen hostibus esse studebat  
 Hostis; fulgebat propter certamina litis,  
 Militie semper hic suspirabat ad usum,  
 Ad requiem torpebat: ad arma volabat:  
 Moribus ornatus, simul alloquioque beatus:  
 Marmore sub solido iacet hic miles tumulatus.  
 Christe redemptor ei præsta solium requiei,  
 Nostræ vita spei parce redemptor ei.  
 Iste die prima fuit Aprilis tumulatus,  
 Æra millena tricentenaque tricena,  
 Necnon et terna tulit hunc manus ipsa superna.*

Alia duo monumenta hærent orientali parieti, quorum alterum ligneum domini Petri Barrosi, Episcopi Seguntini, corpus habet reconditum; qui obiit IV kalendas Augusti Æra 1324: alterum marmoreum est, ubi (ut aiunt) cadaver Dominici Paschasii<sup>(1)</sup>, canonici Toletani, iacet: qui in cruento conflictu portus, quem Hispani dicunt *del Muladar*, vexillum San-

ctæ Crucis manibus ferens, coram Archiepiscopo domino Roderico ferri solitum, per Agarenorum acies miraculose illæsus transivit. Hæc olim sita erant in capella Spiritus Sancti, quæ, dum sacellanis regiis colenda daretur, in hanc translata sunt. In pariete autem meridionali ad dextram altaris hoc epitaphium legitur:

*Hoc positus tumulo fuit expers improbitatis.  
 Intus et extra fuit immensæ nobilitatis.  
 Largus, magnificus fuit, et dans omnia gratis.  
 Et speculum generis, totius fons bonitatis.  
 Cuius larga manus ignorans clusa manere;  
 Cunctis dans cuncta cunctos novit retinere.  
 Cuius porta domus non claudebatur egenti:  
 Neque alii cuiquam, sed aperta stabat venienti.*

*Nec*

(1) Hic Dominicus Paschasius primum fuit canonicus Toletanus, crucemque Archiepiscopalem portavit in prælio, quod denominamus *de las Navas de Tolosa*, in montibus Marianis, vulgo *Sierra morena*, ubi nunc posita sunt nova oppida *Carolina*, viaque strata admodum spatiosa, magna, et regia. Crux præfata colitur in Ecclesia oppidi *de Vilches*, quod situm est in summitate montium Marianorum

prope locum, ubi commissum est prælium contra Miramamolimum ab Alphonso VIII Castellæ Rege, necnon à Regibus Iacobo Aragoniæ, et Sancio Navarræ. Vicarius à nostro Catholico Rege nominatus mihi asseruit, crucem prædictam existimari à fidelibus esse ferream; sed suspicor esse æream, et deauratam, licet temporis iniuria nigra appareat. Vide in Catalogo Præsulum Toletanorum, pag. 354, n. 62.



*Nec dare cessabat , dare cunctis semper amabat.  
 Nulla dedisse putans , augebat munera dando.  
 Sic augens vixit : Christum requiescit amando.  
 Obiit Ioannes Garsia 14 de Octobre 1326.*

Alium itidem tumulum intra oc- elaboratum videmus cum suo ti-  
 cidentalem parietem prisco modo tulo , quod ita se habet:

*Vallisoletanus abbas iacet hic tumulatus,  
 Nomine Gomezius quondam fuit ipse vocatus,  
 Toleti natus , cuius generosa propago.  
 Moribus ornatus fuit hic probitatis imago.  
 Largus , magnificus , electus Mendoniensis,  
 Donis immensis cunctorum verus amicus,  
 Et quamvis fuit abbas dotatus in istis,  
 Et multis aliis : potuit sic dicere tristis.  
 Quam sit vita brevis hominis , quam sit breve posse  
 In me cognosce , qui mea metra legis.  
 Qui quondam potui , qui quondam magnus habebam;  
 Iam modo nil possum , pulvis , et ossa manens.  
 Nil mihi divitiæ , mihi nil genus atque iuventus  
 Profuit , hæc vita nihil est aliud nisi ventus.  
 Ergo tibi caveas , ne te deceptio mundi  
 Fallat , nam poteris cras (sicut ego) mori.  
 Obiit IIII. Kal. Augusti , Æra M.CCC.XXIII.*

Et inferius hæc inscripta sunt carmina :

*Hic iacet æde brevi clausus mortis dominæ vi,  
 Abbas electus , prudensque notarius , altus  
 Ut Legionis , Mendoniensis , Vallisoleti  
 Dives , famosus , largus , iuvenis , generosus;  
 Toletanorum speculum , protector eorum,  
 Quem deus iis dederat , ut præfulgeret in ipsis;  
 Nam lux urbis erat vivens.*

Portam , quam diximus, Lætitiæ<sup>(1)</sup>, huic Sacello adiacentem, à lateribus circumdant duo intra parietem concava, sepulcris destinata. Continuo adest ianua parva , qua per cochli-

des scalas in pila intrinsecus ad prædicta ingentia organa ascendimus. Statim occurrit Divi Christophori effigies , magna membrorum proceritate depicta.

(1) A dextra parte portæ Lætitiæ constructum postea fuit magnificentum sepul-

crum, in quo iacet quidam canonicus Toletanus, Alphonsus de Roxas nuncupatus.

## CAP. XXXVIII.

*De Sacello Divi Eugenii.*

**D**ivi Eugenii Sacellum deinde succedit, quod olim Hispanè *Sant Pedro el viejo* dicebatur; fuitque ibi parochia Divi Petri, quam Sanctius de Roxas Archiepiscopus alio transferendam curavit, ut suo loco referemus. In hoc Sacello, quondam etiam Corporis Christi nuncupato, eo quod Eucharistia, ægris parochianis administranda, ibidem servabatur, quædam capellania à domino Roderico Archiepiscopo cum officio quinque Missarum in hebdomada occurrentis diei instituta est. Aliæ præterea duæ habentur: altera trium Missarum in septimana, feria secunda pro defunctis, feria sexta de Sancta Cruce, die Sabbati de Beata Maria, à domino Francisco Fernandez *de Cuenca*, Archidiacono Oretano, ac Toletano canonico relicta: altera à Ferdinando de Acitores, nobili decurione huius urbis, cum munere singulis hebdomadis trium Missarum. Tres denique capellantias ab Illustrissimo domino Fernando *del Castillo*, Episcopo Baiorensi, qui hoc Sacellum refecit, institutas esse reperimus: quarum cuivis hebdomadatim quattuor Missarum munus adiungitur pro institutoris et suorum defunctorum animabus. Huius Episcopi tumulus splendidus intra parietem orientalem eiusdem Sacelli cernitur.

## CAP. XXXIX.

*De capella Sancti Martini.*

**I**oannes Lupus *de Leon*, canonicus Toletanus, Sancti Martini se-

quens Sacellum, semidirutum, restauravit, ac proventum duobus divini officii ministris ex portuariis assignavit: qui quidem alternis diebus (etiam iis, qui de gratia appellantur) unicam Missam celebrare tenentur, nisi nota obstet valetudo; nam tunc sacellanorum vices alii gerunt eorundem sumptibus. Mandavit etiam anniversarium singulis annis postridie sollemnitatis Sancti Martini ab Ecclesiæ proceribus celebrandum. Item alia duo anniversaria: alterum per sacellanos chori; alterum per sacrificulos decantanda. Nec silenda est huius viri ardens caritas: siquidem amplum censum sortito dividendum triginta superque pupillis virginibus maritandis legavit, inter quas natæ trium confratrum confraternitatis Sancti Petri, etiam vivis parentibus, admittuntur ad sortitionem; ac pauperibus viris centum quinquaginta etiam sorte togandis vestibus quibusdam (quas dicunt *capuces* vulgo) redditum per duos canonicos erogandum reliquit. Hæ autem vestes in tribus anni sollemnitatibus, Nativitate, Resurrectione Domini, et festo Assumptionis Beatæ Mariæ (in singulis pari numero) distribuuntur. Verum puellæ antequam dotis portionem (quæ est quinque millia nummorum) accipiant, benedictionibus nuptialibus in hoc eodem Sacello decorantur. Quod nulli mirum sit, canonicum tam amplum proventum reliquisse; nihil enim consanguineis legavit, dicens bona clericorum pauperum esse, in cap. fin. 16, q. 1, reditusque obtinuit uberrimos, et centesimum annum, longissimum hominis vitæ tempus,



excessit, in leg. ut inter divinum de Episc. et cler. Cod. Fuit namque altissimi Regis Ioannis, abavicelestitudinis tuæ, sceptrifer; decessitque anno Domini 1529 ad mensis Decembris finem.

## CAP. XL.

*De Sacello Conceptionis Intemeratæ Virginis.*

Si libeat ab Ecclesia exire, adest tibi ianua prædicta, quæ dicitur Decani, alio nomine *de la Oliva*: si vero pergas ulterius, Conceptioni Beatæ Mariæ Virginis Sacellum dicatum videbis, quod olim dominus Ioannes Salcedo, Archidiaconus Alcaracii, canonicus Toletanus, Regum novorum sacellanis Præfectus, protonotarius apostolicus, erexit, multisque beneficiis et præstimoniis ditavit, mercede duobus cum ædituo Sacerdotibus relicta, decies in hebdomada rem divinam facturis: Dominica, de Trinitate: feria secunda, pro defunctis: feria tertia, de Sancto Antonio: feria quarta, de Conceptione Virginis: feria quinta, de Sancto Sacramento. Quindecim item anniversaria pro Regum expiationibus, quorum Sacello fuerat ipse Præfectus, à regiis sacellanis in eodem Sacello peragenda. Insuper festum Conceptionis Sanctissimæ Virginis, et anniversarium per proceres Ecclesiæ sollemniter celebrandum instituit.

## CAP. XLI.

*De Sacello Epiphaniæ.*

Quod hinc se offert Sacellum Epiphaniæ, fundasse dicitur Petrus Fernandez *de Burgos* cum coniu-

ge, qui duas ibidem instituit capellanas, quamlibet cum officio duarum in hebdomada Missarum, una pro defunctis, altera occurrentis diei, quas per duos ex portionariis Ecclesiæ disposuit celebrari. Qui antiquitus ex institutione accipere solebant pro quavis Missa eleemosynam, mercedis nomine, quattuor dumtaxat dipondios, scilicet octo minutulos nummos, vel (ut sic dicam) æreas blancas. Ex hoc intelligitur, non fuisse apud maiores nostros eam nummorum copiam, quæ nunc est, quando pro retributione unius Missæ conferenda quattuor solummodo dipondii tribuerentur. Hoc Sacellum postmodum reædificavit Ludovicus Daza, canonicus Toletanus, qui alias etiam duas capellanas in eo constituit (ubi etiam est æditimus utrisque sacellanis inserviens) unamquamque quinque Missarum in hebdomada. Hic Ludovicus ex ventre matris, quam prægnantem panthera occidit, natus fuisse dicitur, ut iam non sit, quod miremur, Iulium Cæsarem, cæso matris ventre, natum fuisse, ut glos. in verbo Cæsare refert in procem. ff. veteris, non attendens rei gestæ historiam. Plinius enim naturalis historiæ lib. 7, cap. 9. tradit, quod memoratu dignum est, Scipionem Africanum primum fuisse dictum Cæsarem à cæso matris utero, cuius verba sunt: *Auspiciatus enecta parente gignuntur. Sicut Scipio Africanus prior natus, primusque Cæsar, à cæso matris utero dictus.* Non igitur Iulius Cæsar (qui Dictator perpetuo epitheto dicitur ab eruditis) natus est, cæso utero materno, qui matrem ha-

buit

buit Aureliam feminam primariam, quam eo tempore amisit (ut Suetonius in vita Iulii Cæsaris auctor est) quo in Gallia bellum gerebat; eiusque pater etiam fuit Cæsar appellatus. Hanc circa Cæsaris nomen digressionem, magnanime Princeps, non tibi inamœnam fore arbitror; siquidem pater ipse tuus, Imperator invictissimus, multo quam universi Cæsares felicius, multoque iustius, Cæsar semper Augustus appellatur.

CAP. XLII.  
*De capella Mozarabum et horum sacrorum origine.*

In extrema Templi parte, ubi cœptæ turris fundamenta surgebant, Sacellum visitur, clathris septum deauratis: olim Corporis Christi dicebatur; nunc Mozarabum capellam vulgus appellat. Memoria nostra, cum hic esset capituli cogendi locus, dominus Franciscus Ximenez, Archiepiscopus, translato in eum locum, ubi hoc tempore canonici congregantur, capitulo, hoc ibi Sacellum extruendum, sacrisque illis faciendis dedicandum curavit, quæ dicuntur Mozarabum. Horum sacrorum originem, quoque ea modo ad nostra usque tempora in hac potissimum urbe permanserint, quoniam locus poscere videtur, haud ab re fuerit paulo altius repetere. Gens Visigothica, hoc est occidentales, qui dicebantur Gothi, quo tempore Hispaniam pæne universam Honorii Imperatoris permissu occupavit, cum esset Arianæ impietatis persuasioni dedita, non mediocrem catholicis eius provinciæ Ecclesiis per-

turbationem invexit. Hinc cultus divini, ritibus variis, cæremoniisque distracti, orta confusio, ut nec inter Orthodoxos quidem ipsos una esset, vel sacrificandi, vel horarias preces (quæ canonicæ dicuntur) psallendi consuetudo. Deinde cum gens tota post centesimum circiter quadragesimum adventus sui annum, antiqua impietate abdicata, Orthodoxam fidem una cum Rege suo Reccaredo cupidissime accepisset; iam inde pace Ecclesiis reddita, de sacris rebus communi consilio constituendis agitari cœptum est. Idque potissimum in urbe regia; sic enim Toletum cognominabant, quod eam urbem Gothici Reges, tum quod opulenta maximeque munita, placido præterea cœlo, uberique agro esset, tum quod Hispaniæ universæ velut umbilicum quemdam referret, caput regni sedemque constituerant. Hic igitur Episcoporum conventu indicto, (quod Concilium quartum Toletanum fuisse memoratur) Patrum decreto sancitum est, ut idem ordo orandi, atque psallendi, in omnibus Hispaniæ Ecclesiis servaretur. Porro de ordine ipso placuit deinde, ut is, de quo agimus, potissimum eligeretur, ab Isidoro quidem Pontifice Hispalensi, viro summa id temporis, tum sanctimoniam, tum doctrinæ opinione, institutus; cui Leandrum nonnulli adiungunt, Hispalensis itidem Ecclesiæ Antistitem, sanctitatis et ipsum laude præclarum, quasi utriusque opera confecta res fuerit. Sed illud constat, ab Isidoro eum ritum Isidorianum officium à plerisque nuncupatum. Perseveravit hæc sacrorum consuetudo in Ecclesiis



Hispaniæ, quamdiu res Gothorum in ea floruerunt, hoc est, centum viginti circiter annos, usque ad exitialem illam calamitatem, cum per Mauros Arabesque Saracenos universa pæne regio, cæde incendiisque vastata, fuis, fugatisque Hispanorum copiis, Punico cessit imperio. Cum autem in publica clade urbs quoque ipsa regia in hostium potestatem, idque ea conditione venisset, ut oppidanis liceret Christiano ritu, legibus, moribusque suis in ea vivere, pleraque quidem civium multitudo spontaneum exilium Arabicæ prætulit servituti. Nonnulli vero, quibus patrii domesticique lares cariores libertate fuere, conditione accepta, sub Arabum Saracenorum imperio, sacris suis retentis, in urbe mansere. Ergo eiusmodi homines non in hac modo, sed in reliquis etiam urbibus, oppidisque Hispaniæ, sub hostium ditione degentes, quorum quidem numerum Oppæ illius proditoris impulsus, hortatusque adauxerat, à reliquis Hispanis Mixtarabes, quod cum Arabibus permixtim viverent, dicti sunt: unde illorum ritus ecclesiasticus officium Mixtarabum nuncupatus. Quæ vox, tum temporis diuturnitate, tum stridula ipsa barbarorum pronuntiatione corrupta, in eam degeneravit, qua nunc vulgus utitur, *Mozarabe*. Unde nimirum fabula orta de Muza, nescio quo Arabum duce, cuius videlicet beneficio is ritus inter hostes servatus, Muzarabis appellationem invenit. Verum hoc sane commentum, cum nullo quidem testimonio, dumtaxat idoneo, nititur, tum, quam attulimus opinio, rece-

ptæ fidei historicorum auctoritate fulcitur, et vetustissimorum etiam monumentorum documento. Igitur qui sic inter Arabes Toleti mansere, iis sex urbis Ecclesiæ, ubi rem divinam facerent, à barbaris permixtae sunt, Divorum Marci, Lucæ, Sebastiani, Torquati, Eulaliæ, Iustæ nominibus dedicatæ, in quibus ritum illum Isidorianum (qui incolumi florentique civitate in templis omnibus canebatur) captiva etiam, quadringentos ferme annos Mixtarabes illi conservarunt. Quo factum est, ut Toletanum iam officium appellaretur. At vero urbe ipsa, divina tandem benignitate, Alphonsique Regis, Fernandi magni filii, felicibus auspiciis recepta; cum de sacris in ea instaurandis, restituendisque ageretur; Ricardus Massiliensis abbas, Apostolicæ sedis Legatus, constituendæ ecclesiasticæ disciplinæ causa in Hispaniam, Rege ipso postulante, missus, ritum sacrorum à Divo Gregorio olim institutum, quo nunc vulgo utimur, quoque iam tum Gallica utebatur Ecclesia (unde et Gallicanum officium ea tempestate dictum), Hispanis Ecclesiis omnibus de Regis ipsius sententia observandum tradere satagebat, antiquato, abolitoque Toletano. Urgebat hominis consilium summo studio Constancia Regis uxor, nationis mulier Gallicæ, quæ viri animum, in eandem sententiam alioqui pronum, incredibili contentione stimulabat. Sed adversus hunc Regis, Reginæ, Legatique consensum Toletanus clerus, populusque universus ritum suum sacrorum, tot sæculis inter medios barbaros conservatum, mordicus (ut aiunt)

aiunt) retinentes ; primo indignari, fremere, tumultuari : deinde liberis etiam vocibus clamitare, vim religioni suæ afferri, patriis se sacris per summum nefas deturbari, externis ignotisque addici : denique pro suis tuendis, quæ absque piaculo relinquere non possent, extrema pati paratos esse. In eo tumultu, accensis utrimque studiis, cum res ad apertam seditionem spectare videretur, visum communi consilio est, rem dubiam singulari armatorum certamine, de eius temporis more, recepto illo quidem magis, quam probato, terminare. Delecti itaque milites, alter pro Toletano ritu, pro Gallicano alter, dimicaturi, dicitur certamini dies, apparatus locus, ingens omnium expectatio, par metus, utraque parte pro se timente, utraque pro suo milite Superis vota nuncupante. Igitur pugnae dies cum advenisset, frequenti admodum mortalium turba, spectaculi locum vicinaque circum tecta complente, in medium armati processere ; signoque dato, obversis cominus armis, in mutua vulnera ruentes, summa uterque vi, summa virtute rem gerunt. Accendebat illorum animos circumfusæ multitudinis dissonus clamor, ad singula pugnae momenta sublatus. Tandem, quod multis opus, victoria, haud ita diu anceps, penes Toletanum militem fuit. Ingens tum subito populi universi lætitia : ingens plausus excitatus : omnis ætas, sexus, ordo, voce, manibusque in cœlum sublatis, profluentibus per ora lacrimis, Deo gratulari, militis sui virtutem laudibus ferre, bonaque illi omnia certatim comprecari : deni-

que ad Divorum aras frequentes concurrere, concepta pro religione vota illis ipsis sacris, à quibus illi steterant, soluturi. Interim Rex, vehementi dolore percussus, obfirmato nihilominus animo, in sententia persistebat. Itaque eventum certaminis negare, satis idoneum fuisse divini consilii argumentum; quin pernicioso potius, adeoque impio exemplo factum, quod de re sacra iudicium funesto gladiatorum certamini permissum fuisset : sibi quidem nefarium consilium initio displicuisse ; cessisse tamen publicæ temeritati, ne dum certaminis abnuat discrimen, causæ suæ diffidere videretur. Nunc, cum res ipsa urgeret, non permissurum, ut incertum, temerariumque periculum pro comperto, atque adeo cœlesti iudicio reciperetur. Regis orationi cum Proceres omnes non solum ultro assensissent, sed multis illam quoque rationibus, argumentisque confirmassent, abrogatum tandem pugnae iudicium, resque de integro agitari, inito simul consilio, cœpta est. Ubi cum sententiis variaretur, ad extremum in eam dicuntur universi convenisse, ut divini Numinis voluntas precibus imprimis, ieiuniisque placati, miraculo exquireretur innocuo : supplicibusque ab eo votis peteretur, uti coniectis in accensam pyram Toletano Gallicanoque codicibus, quem maxime divinum ipsius consilium probaret, cuiusque usum è republica Christiana magis futurum prospiceret, uti hunc ab ignis iniuria servare dignaretur illæsum. Cum placuisset omnibus sententia, decernuntur continuo publicæ supplicationes, indicitur ieiunium,



vota præterea privatim pro cuiusque affectu suscipiuntur. Tandem statuto die, accensa in medio foro ingenti pyra, densissima turba ad prodigii expectationem inter spem metumque suspensa, afferuntur codices: conceptisque ad Deum precibus, uti quod maxime ea de re fieri placeret, ostento illo, testatum hominibus facere vellet, in medios crepitantium flammarum globos uterque coniectus est. Ibi tum (dictu mirabile!) Gallicanus codex è medio rogo dicitur expansis foliis liber ab incendio sponte prosiliisse; Toletanus vero itidem incolumis, quo loci coniectus fuerat, permansisse: quod portentum Regem regiosque Proceres ita interpretatos fuisse credere par est, quasi Gallicanum ritum publice emittendum invulgandumque Deus admoneret; porro Toletanum illis ipsis Ecclesiis Toletanis, ubi tunc canebatur, relinquendum. Certe ita regio decreto ex Legati pontificisque auctoritate sancitum fuisse constat<sup>(1)</sup>. Nec ignoro Scriptoribus nostris nullam fieri de prodigii interpretatione mentionem,

(1) Credibile non est auctoritate Legati Summi Pontificis confirmatum, vel decretum fuisse, ut Toletanus, seu Mozarabicus ritus Toleti remaneret, cum aliunde constet Bernardum Archiepiscopum, natione Gallum, et Legatum Pontificium totis viribus cum Regina Constantia incubuisse, ut Gothicus, vel Mozarabicus ritus aboleretur, et Gallicanus per universam Hispaniam protenderetur. Magis igitur veritati accedit, Regem Alphonsum voluisse placere Summo Pontifici, et acquiescere precibus Reginae, et Archiepiscopi in admissione, et extensione ritus Gallicani, seu Romani, per totam Hispaniam; simulque ut votis cleri, et populi Toletani, suo ritui Gothico perantiquo nimis addicti, aliquomodo satisfaceret, permisisset, ut ritus Gothicus sex in Parœciis

atque adeo Rodericum Toletanum neque interpretamento quidem locum ullum reliquum facere. Quippe qui (modo fides sit exemplaribus), Toletano codice integro, Gallicanum omnino conflagrasse; Regem vero, nimium propositi tenacem, contempto miraculo, in sententia perstitisse tradat. Verum profecto nec Regi quidem, viro, cum omnibus regiis dotibus, tum eximia in Deum pietate, laudatissimo, tam insanam, impiamque proterviam tribuere, nec seditiosam multitudinem, tanto edito pro se miraculo, facile conquieturam fuisse, credere fas existimo. Nam de proverbio, ex Regis pervicaci contentione nato, *Trahi leges, quo velint Reges*, quod Rodericus ipse affert; illud certe multo aptius ex regia illa portenti explicatione, pro commo videlicet excogitata, ortum videri posset, quod licuisset nimirum, in diversam quoque partem illius interpretationem trahere. Sed de prodigio quidem hactenus. Illud certe satis constat, Gallicanum illum, seu potius Gregorianum ritum, quo nunc Ecclesia ferme

Toletanis permaneret, ritusque Gallicanus in Matrice, et aliis Hispaniarum Ecclesiis servaretur. Nec expavescere debemus audito duello inter equitem Hispanum et Gallum, neque supercillia tollere audita probatione per ignem ritus Mozarabici, et Gallicani; quicumque etenim historiam ecclesiasticam perlegerit, inveniet non absimiles illo tempore usitatas probationes in purgatione canonica, et vulgari: passim namque legitur Episcopos, criminis insimulatos, prunas ardentes in manibus portasse, seu per prunas ardentes incesisse: mulieres etiam coniugatas, viris de adulterio suspectas, eandem probationem, vel aliam duriorum ad innocentiam suam comprobendam sustinuisse.

omnis latina utitur, hac tempestate in Hispania, nec sine contentione, receptum; Toletanum vero sex illis Toletanis Ecclesiis fuisse permissum. Porro cum in urbe nuper recepta, inter varias Basilicarum, fanorum, ædiumque sacrarum dedicationes, parochiales imprimis (quas dicunt) Ecclesiæ regionatim constituerentur, ad quas populus rei divinæ causa potissimum conveniret, sui que cuius limites per vicos domosque circumquaque vicinas præfinirentur, solis illis sex Ecclesiis fines quidem nulli præstituti sunt; sed sui cuique Mozarabes, illorumque posteri, ubi ubi illos intra, extrave urbem, in agro Toletano morari contingeret, pro parochianis assignati. Quibus etiam immunitates datæ, privilegiaque irrogata minime vulgaria. Hi igitur primum, horumque deinde posteri suam quisque Ecclesiam, sacraque gentilitia frequentabant; et interim quidem, dum frequens posteritas illa fuit, sacra perinde ipsa in Ecclesiis illis assidua, celebriaque fuere. Postea vero quam hominum illorum soboles (ut res mortalium sunt) imminui in dies, atque deficere cœpisset, simul et illorum ritus ecclesiasticus sensim labi, concidereque apparebat, ac vulgaris sacrorum consuetudo in eorum etiam Ecclesias paulatim irrepere: adeo quidem, ut memoria nostra, non nisi paucis quibusdam stas, festisque diebus, eo ritu in illis sacrificaretur. Ita cum ritus totus in occasum iam proclivis, propediemque interiturus videretur, Franciscus Ximenez Archiepiscopus (quem superius commemoravimus), ut erat vir ille fer-

vens admodum religionis cultor, priscarumque cæremoniarum studiosissimus, illius instaurandi curam cogitationemque suscepit. Adhibitisque viris, quotquot extabant, eius rei peritis, primum libros omnes, quibus sacra illa continebantur, Gothicis illos quidem characteribus conscriptos, vix paucis quibusdam Sacrificis eo tempore cognitos, in vulgaris litteraturæ formam redigendos, impressoriisque formis excudendos curavit. Erant vero characteres illi non omnino à latinis nostris abhorrentes, sed partim quidem illorum eadem forma quæ nostri, partim vero quadamtenus differenti, quos per Gudilam quemdam Episcopum genti Gothorum una cum fidei Christianæ rudimentis traditos ferunt, quæ postea quidem Toletana littera, deinde etiam Mozarabum dicta est. Libris ergo restitutis, Sacellum, de quo agitur, elegantiori structura condidit, inque eo collegium instituit tredecim Sacerdotum, quos Mozarabum capellanos appellavit, adiunctis tribus præterea sacrorum ministris. Hoc collegium, idoneis proventibus annuis instructum, sub Capituli Toletani patrocinio constituit. Ipsi porro Sacerdotibus perpetuam horum sacrorum curationem mandavit, ita ut illis eo ritu quot diebus sacrificare, horariasque preces diurnas nocturnasque concinere sollempne esset. Ad quos, et sex illarum Mozarabum Ecclesiarum sacerdotia (quæ dicuntur beneficia) pertinere voluit, per ipsos quidem pro sacerdotiorum antiquitate, quoties vacua esse contingeret, optanda, per Archiepiscopum vero con-

fe-



ferenda. Porro ex eo numero cum deficere Sacerdotem contingeret, uti alius aliquorum suffragiis sufficeretur, ex iis potissimum candidatis electus, qui sacerdotio Ecclesiæ cuiuspiam Mozarabis præditus esset; quod si extra collegium nemo eiusmodi reperiretur, ex aliis eius ritus peritioribus: electum instituendi ius penes Capitulum esse sanxit<sup>(1)</sup>. Ita sacra illa, quæ (ut ceteræ nimirum res mortaliū) senium iam ipsum ferre vix poterant, restituta, et ab interitu vindicata sunt. In cuius restitutionis memoriam cenotaphium restitutori in medio Sacello honorifice erectum cernitur, impendente desuper coccineo galero, Cardinalitii honoris, quo ille præditus fuerat, insigni. Multa præterea alia ab hoc Pontifice egregia sumptuosaque opera extracta videmus. Imprimis gymnasium litterarium Complutense, ubi liberalium disciplinarum studia, potissimum vero sacrarum, ignavia temporum apud nos neglecta, suscitavit, constitutis amplissimis vectigalibus annuis in professorum omne genus stipendia, inque pauperum scholasticorum alenda sodalitia. In quorum sodalitorum maximi amplissimi-que fano illius cadaver marmoreo monumento situm est. Templum præterea in eodem oppido, Sanctorum Martyrum Iusti et Pastoris, Divorum eius loci tutelarium, vetustate, ruinisque collapsum, à fundamentis refecit, atque amplavit, numerumque in eo auxit sacerdotiorum; quæ sacerdotia in litteratos viros, quasi studiorum

(1) Sensus istius periodi obscurus est; sed

præmia, uti perpetuo conferrentur, instituit. Cœnobium quoque ibidem condidit religiosarum feminarum S. Ioannis de Pœnitentia, adiuncto gynæceo, educandis castissime sanctissimeque virginibus, quibus adultis, liberum esset, vel in ipsam religiosam societatem gratuito transire, vel certa, dotis nomine, accepta pecunia, nuptiis indulgere: cœnobium rursus aliud feminarum, eiusdem, et appellationis, et instituti, in urbe Toletana, cum suo itidem virginum gynæceo, longe amplissimum, atque opulentissimum: Illiescis municipio, proxime agrum Toletanum, monasterium quoque eiusdem ordinis feminarum: Turrilacunæ oppido, natali illius solo, virorum monasterium ex Divi Francisci asseclis, ex quibus et ipse fuit. In quibus locis omnibus cenotaphia illius extant; sacraque funebria, tum anniversaria, tum quotidiana, pro manium illius expiatione frequentia celebrantur. Nec vero extruendis modo publicis operibus operam dedit; quin variis quoque rationibus studuit, de re Christiana deque republica sua bene mereri. Nam Saracenorum Granatensium multa millia ad fidei confessionem adduxit, quos aquis ipse lustralibus conspersos Christiano ritu initiavit. Sacrarum litterarum veteris novique testamenti libros, Hebraico, Græco, Latinoque sermone, adiectis interpretationibus atque annotationibus, magna sua impensa compositos, excusosque primus in lucem dedit. Hispanam rempublicam, regia gubernatione semel, at-  
ex scripto foundationis liquido constabit.

atque iterum, suo tempore destitutam, compressis tumultibus, pacatam reddidit, incredibilique severitate administravit. Expeditionem in Africanos Saracenos magno exercitu, maiore animo susceptam, præsentia sua prosequutus, Orano urbe (cuius expugnationem animo destinarat) in potestatem redacta, belloque mira celeritate confecto, de hostibus triumphavit. Cuius quidem pictura expeditionis in adverso Sacelli huius pariete conspicitur. Toletanam, Complutensem, Turrilacunensemque rempublicam, donato magno frumenti numero, annonæ difficultatibus perpetuo sublevandis iuvit. Quotidianas largitiones in egenos profuse admodum exercuit, quos, nunc gratuitis frumentationibus, nunc veste, nunc pecunia viritim distributa, prosequabatur. Vir priscae severitatis atque sanctimoniae, et cuius memoriae consecrandæ nihil omnino deesse videatur præter ætatem.

CAP. XLIII.

*De Sacello S. Ioannis Baptistæ.*

Sacellum præterea, quod Reverendissimus Cardinalis Ioannes Tavera, huius Ecclesiæ Præsul, sub invocatione Sancti Ioannis Baptistæ in calce turris excelsioris curavit struendum, sine proventu adhuc, et sine ministeriis sacrorum extat. Ubi ipsum dominum

(1) Hoc Sacellum, in cuius frontispicio sculpta est in marmore imago S. Ioannis Baptistæ, hodie appellatur Capella Turris, et Canonicorum, in qua tantummodo ipsi privatim Missas celebrant. Antea certe deserviebat sacristiæ capellæ Regum novorum; postea in meliorem formam redactum, tria altaria in eo posita fuerunt,

Cardinalem sepeliri velle, ab aliquibus ferebatur; re vera tamen, non in hoc (de quo agimus) Sacello, sed in augustissimo potius, ad sinistram maximi altaris, monumentum sibi fieri (idque obtento regio permissu) animo destinarat. Postea vero (ut sunt mortaliū ingenia) in hospitali divi Ioannis Baptistæ, quod eiusdem Illustrissimi Archiepiscopi opera et impensis extra muros huius urbis coeptum, assignatis deinde operi perficiendo, ac ægris pauperibus curandis, redditibus, adhuc etiam magno artificum numero operante, ædificatur, cadaver ipsius sepeliendum, ibique pro eius animæ expiatione sacrificia celebranda mandavit. Obiit 31 die Iulii, anno Domini 1545, Vallisoleti, ubi in maximo templo eius corpus sequestratum est, inde ad dictum hospitale transferendum. Hoc autem Sacellum<sup>(1)</sup>, quod olim capellæ regiæ sacrarium fuerat, Missis privatis interdictorum tempore deservit, quo divinum officium (ut sacri canones in cap. alma mater, de sent. excom. lib. 6. decernunt) secretius peragatur.

CAP. XLIII.

*De Sacello Crucifixi, alias dominæ Theresæ de Haro.*

Non longius abest Sacellum<sup>(2)</sup> ab illustrissima domina Theresæ de

et in medio Imago Crucifixi, non Ioannis Baptistæ, ut antea denominabatur.

(2) In clathro huius capellæ superius posita sunt stemmata dominæ Theresiæ de Haro, nempe duo lupi excoriati, eodem modo quo sub statua domini Didaci Lupi de Haro in columna navis maioris prope organum cernuntur; hæc enim fuerant



*de Haro* in boreali parte constructum prope locum, ubi quondam novorum Regum Sacellum fuit<sup>(1)</sup>, tria continens altaria. Hæc, præclari mulier generis, memorabile caritatis et misericordiæ opus exercuit; virginibus (enim pupillis maritandis, atque egenis hominibus nobili genere natis (sublevandis, perpetuos redditus annuos quadringentorum nummorum aureorum, quindecim sestertia constituentium, ex æquo per quattuor ex Sacerdotibus canonicos distribuendos instituit, quorum duo virginum dotibus, duo vero eleemosynis pauperum præficiuntur. Quamvis in prima ordinatione eleemosynam hanc captivis redimendis proposuerat, ut ex titulo in eadem ædícula inscripto constat. Qui redditus pro cuiusque locandæ feminae conditione, dictorum canonicorum sententia, distribuuntur. Virgines autem benedictiones nuptiales cum sponsis in hoc eodem Sacello ante dotem oblatam accipiunt. Tres præterea instituit Sacerdotes, qui singulis hebdomadibus quinque per vices rem divinam facerent; et dum horis canonicis in choro adsunt, æqualem cum aliis capellanis distributionum quotidianarum portionem capiunt. In Missis vero celebrandis hic est servandus ordo: die Veneris, de Cruce cum Passione: die Sabbati, de Virgine Maria: reliquis diebus, pro defunctis, nisi festi fuerint,

rant stemmata, quibus usa fuit familia *de Haro*, in cuius dominio erat Cantabria, quæ postea recidit in nostros Reges. Præterea apparent quædam quasi cochlearia, seu spathulæ, quibus utebatur suis in stemmatibus familia *de Padilla*.

(1) Capella Regum novorum, à Rege En-

de quibus tunc Missa est celebranda pro dictæ dominæ *Theresæ de Haro*, et *Didaci Lupi de Padilla*, coniugum, suorumque defunctorum expiationibus. Si vero sacellani, aliquo morbo impediti, prædicta sacrificia Deo exhibere nequiverint, dimidium, ac si exhibuissent, mercedis accepturi sunt. Voluit item, ut ædituus huius Sacelli cunctis, divinam ibi rem facere cupientibus, omnia sacro cultui necessaria gratuito præberet.

#### CAP. XLV.

*De ara del Antigua vulgo appellata.*

Inde gloriosissimæ Virginis Mariæ ara se offert, *del Antigua* vulgo appellata, eo quod vetusta quædam Virginea effigies, quæ olim (ut fertur) in profundo putei prope ipsam aram magno operti lapide reperta fuit, supra eam sita est: quod aliunde evenisse credi non decet, quam ab illa exitiali Hispaniæ calamitate, qua Sanctorum simulacra, cum minime Christiani alio deportare potuissent, ne à barbaris irriderentur, abditissimis in locis ingenti mœrore reposuerunt. Id quod à nostratibus, sacrarum litterarum peritis, ad exemplum Hebræorum factum videtur: nam, ut in lib. 2. Machabæorum scriptum est, cap. 1. cum Hebræi captivi in Præsidem traherentur, Sacerdotes, qui tunc cul-

torico facta, per mediam navim maiorem tendebat, et quasi dissecabat corpus Ecclesiæ; et ad sacristiam, et aulam capitularem deserviebat locus, quem hodie occupat capella sub turri, et dominæ *Theresiæ de Haro*.

tores Dei erant, acceptum ignem de altari occulte absconderunt in valle, ubi erat puteus altus et siccus. Prisca tamen tranquillitate Christianæ religioni restituta, multa ex illis paruerunt, quæ proinde maiori quadam devotione colebantur. Cuius plane rei causa effigies hæc Virginis vetustissima apud nos in mira est veneratione. Eademque de causa plures, non modo cives Toletani, sed etiam alii ex diversis provinciæ partibus, crebra sacrificia in ea celebranda mandarunt, quod quidem hucusque identidem efficitur. Et ne hominum viventium, seu defunctorum, qui Missas ibi voluerunt suis impensis celebrari, devotio fraudaretur, divinis illis rebus portionarius Ecclesiæ, ut veram haberet rationem, ex Capituli decreto præfectus est, qui numerum eleemosynarum et Missarum supputationem Visitoribus quam expeditam annuatim reddere teneretur. Numerus autem sacrificiorum, quæ quotannis ibidem recitanda sunt, quinque circiter millium est. Quo fit ut vicina, quæ sunt circum, altaria ad tot Missarum copiam solvendarum, quum in hac sacra

(1) Suis expensis construxit hoc altare cum omni suo Gothico ornatu dominus Guterrius de Cardenas, Commendator maior ordinis S. Iacobi de Spatha in regno Legionis: iacetque eius statua genibus flexis ante statuam Virginis Mariæ, in modum offerentis ante se filium eius, à parte dextra; et à sinistra stat simili modo posita statua dominæ Theresiæ Enriquez, uxoris eius, habentis ante se filiam, et offerentis eam Beatæ Mariæ Virgini. (Hæc domina Theresia Enriquez est eadem, quæ construxit suis sumptibus Ecclesiam Sanctissimi Sacramenti in sua villa de *Torrijos*, et etiam conventum ordinis S. Francisci Observantium). Effigies B. Mariæ est

ara adimpleri non possint, requirantur. Quapropter nostrates exterrique, undecumque venerint, Sacerdotes, sacro in hoc Templo rem divinam, si lubet, mercede accepta, celebrare valent. In eodem altari tres aliæ Missæ, Guterrii Cardenensis institutione, Commendatarii maximi quondam militiæ Spathæ, provinciæ Legionensis, in hebdomada recitantur, cuius, uxorisque eius, statuæ marmoreæ ad pedes Virginis adsunt, ipse filium, ipsa filiam quasi Virgini offerentes<sup>(1)</sup>.

CAP. XLVI.

*De Sacello baptismatis.*

Angusta baptisterii ædicula proxima est, in qua residet dictus portionarius, Missarum rationem habens. Ideo autem dicitur baptisterii, quia infantuli in sacro fonte ex ære fusili, subtilibus cælaturis conflato, eiusdemque metalli operculo munito, ibidem abluuntur. At non ita frequentabatur olim hæc spiritualis ablutio, cum bis dumtaxat in anno, in Paschate scilicet et in adventu Spiritus Sancti fieret, ut in cap. duo tempora, et in cap. de catechumenis, de con-

Mmm se-

marmorea, vetustissima corona et ornamentis Gothicis induta, et, ni fallor, non solum debet appellari antiqua, sed per vetusta, Gothorum tempore fabrefacta, quam potuerunt adorare Ildephonsus et Iulianus; ipsemet namque ascendi ad aram imaginis, sedulo eam perspexi, et contrectavi, et animadverti caput et manus fuisse ruptas, et postea unitas: ipsaque facies Virginis ad modum feminæ Gothicæ.

Devotio imaginum etiam transmigrat, ut accidit imagini nostræ *del Antigua*; transiit namque ad imaginem Sacrarum, sensimque in altari *del Antigua* refriguit.



secratione, dist. 4, cuius verba sunt: *De catechumenis baptizandis id decretum est, ut in Paschali festivitate, vel Pentecoste, veniant ad baptizandum: ceteris sollempnitatibus infirmi tantum debent baptizari.* In cuius memoriam nunc clerus Toletanus sabbato, quod in Albis dicitur, dictum fontem baptismalem adit concinens: *Isti sunt agni novelli, qui annuntiarunt, alleluia: modo veniunt ad fontes, repleti sunt claritate, alleluia: in conspectu Agni amicti stolis albis, et palmæ in manibus eorum.*

Insuper et feria quarta ante Dominicam de Passione alia antiquitas observatur, ut congregatis infantibus in Ecclesia cum candelis accensis, diaconus quattuor evangeliorum principia decantet, scilicet Matthæi cap. 8, Lucæ cap. 11. Marci cap. 7, Ioannis cap. 9, et statim puelli abeunt. Quæ omnia tempore catechuminum solebant fieri; nostra vero tempestate, cum nullus sit catechuminus, in typum tantum, ne antiquitas hæc pereat, observantur<sup>(1)</sup>. Et quia posset etiam dubitari, qui dicantur catechumini; sunt illi, qui rebus evangelicis nuper instructi, et nondum baptizati, Missam Catechuminum dictam, quæ est ab introitu usque ad offertorium, audiebant; amplius autem illis non licebat interesse: immo diaconus alta voce clama-

(1) Feria quarta Dominicæ quartæ quadragesimæ leguntur à diacono quattuor evangelia in memoriam scrutiniurum, quæ fiebant de catechumenis, priusquam ad sacram communionem admitterentur; antea etenim edocebantur symbolum fidei, et virtutem evangeliorum, ut videre licet in Martenne *de antiquis Ecclesiæ*

bat, *Catechumeni exeant foras*, propterea quia nondum sacro baptismate regenerati, nec membra Ecclesiæ erant: ita refert dominus Cardinalis de Turrecremata in cap. Iacobus de consecr. distinct. 1. Postmodum tamen Ecclesia, divino aflata spiritu, infantes ad octavum diem nativitatis suæ aqua regenerationis baptizare consuevit Christi exemplo, Lucæ cap. 2; idque etiam ut pericula sane multa evitarentur.

#### CAP. XLVII.

##### *De Sacello Sanctæ Mariæ de Pietate.*

Nec silentio dignum apparet, Alphonsi Martinez, Thesaurarii et canonici Toletani, Sacellum, appellationem Virginis Mariæ de Pietate obtinens, quod licet angustum sit, pulchrum tamen et elegans, utrimque patulum videre est: ad claustrum albario opere multiforati, brevibus cancellis ferreis superpositis, munitur: ad faciem Ecclesiæ albario itidem opere clauditur elegantissimis apicibus, quibus parvulæ ianuæ subsunt ferreæ. Habet ista capella unicam aram, ad solis ortum erectam, insuper tabulis pictis scultisque imaginibus ornatam apprime, quarum media Beatissima Virgo Iesum Servatorem nostrum à cruce depositum gremio suo continet. Est etiam

sa-  
ritibus. Ne autem memoria huius antiquitatis pereat, æquum est, ut præfata die matres filios suos infantulos ad Ecclesiam ducant, et evangelium super eos decantetur, diaconusque aspergat illos aqua benedicta. Quod non semel suasi quibusdam parentibus, et ita fecere.

sacrariolum , quo aliqua Sacelli ornamenta reponuntur. Tria præterea dolia ad aquam in festis Assumptionis et Nativitatis Sanctissimæ Virginis asservandam , qua omnium agricolarum , et cuiuscumque conditionis hominum, tam agrum Toletanum, quam extra incolentium , sitis sedatur , quorum maxima iis diebus ad pernoctandum in hoc templo concurrit multitudo<sup>(1)</sup>. Dictus autem Alphonsus Martinez, huius Sacelli fundator, ædituo , atque sacellano mercedem instituit , ut hic tres in hebdomada pro fundatoris anima recitaret Missas ; ille vero sacellano et omnibus Sacrificis , ibi pro devotione celebraturis , cultui divino necessaria ministraret. Et ne curiosum lectorem pia huius nobilis viri opera lateant , hoc epitaphio, quod pariete occidentali eiusdem Sacelli in saxo litteris deauratis inscriptum inveni , optime poterit agnoscere. *Aquí yacen enterrados padre y madre de Alfonso Martinez , thesorero y canónigo, y obrero que fué de esta sancta yglesia , el qual hiço esta capilla á su costa y mission, y la ordenó con licencia del cabildo, y está en medio enterrado ; el qual ordenó é fundó al servicio de dios y de la virgen sancta Maria el monasterio de Monte syon de la orden de sant Bernardo , y compró todo el sitio en que está asentado desde el camino que vá á corral rubio , hasta el camino*

(1) Ad præsens utiliori et honestiori providentia præbetur aqua in claustro, quin ulla fiat irreverentia intra Ecclesiam , in qua , et in claustro nemini per-

*que vá á peña ventosa , é la viña donde nasce el agua , é la sierra ; el qual monasterio comenzó á fundar el dia de sancta Ines del año de mil é trezientos y veynte y siete : falleció año de mil cccc. é leían veynte y cinco de Junio : su alma sea en parayso , nuestro señor aya misericordia della.*

CAP. XLVIII.

*De parochia Sancti Petri.*

Sacellorum , quæ in circuitu Ecclesiæ iuxta parietes situantur , ultimum occurrit Divi Petri, parochiali iure decoratum. Quod dominus Sancius *de Roxas*, egregius Præsul Toletanus, erexit , et sacrosanctam Eucharistiam , quæ olim in Sacello, Divi Petri veteris nuncupato , custodiri solebat , huc transtulit ; illudque septem lapideis ascendimus gradibus. Inque superno limine , mirifico lapicidarum opere confecto , effigies visitur marmorea Divi Petri in cathedra sedentis. Sub cuius pedibus statuæ, pectoribus tenus , domini Sancii *de Roxas* Archiepiscopi, Dignitatumque (hoc est qui primas partes post Præsulem in choro obtinent), pæne in gyrum Præsulem comitantium, sunt sculptæ. Ab eo vero loco, ubi Dignitates desinunt , carmina hæc , supremum gradum contingentia , scripta sunt , probos dicti Antistitis mores , vitamque laudabilem referentia:

Mmm 2

*Hic*

mittitur pernoctare ; sed omnes advenientes ad celebrandas festivitates, in foro manent , quousque aperiantur valvæ Ecclesiæ ad matutinum.



*Hic iacet in sacra, suaque rutilante capella,  
 Conditus in tumba primatum gloria fulva,  
 Sanctius ecclesiae huic archiepiscopus altae,  
 Hesperiae primas, multum ac famosus in orbe,  
 De Roxas heros generoso in sanguine magnus,  
 Pollens ingenio, sollers, reverendus in aëvo,  
 In mauros rigidus, animosus, ac ferendis  
 Consiliis pulchra quaedam perfulgida stella,  
 Acceptus regi Castellae valde Ioanni,  
 Tum quia tam fide ipsi servire coronæ  
 Illustri semper nimium pro posse studebat,  
 Tum quia vivebat (ut pastor) prorsus ab omni  
 Crimine longinquus cuiuslibet criminis atri,  
 Præsertim caste, mite, omni ac tempore honeste,  
 Militibus placidus, ipsis sine fine benignus,  
 Ac clero gratus, cuius devotio tanta  
 Obsequiumque dei fuit, ac eleemosyna in arctis  
 Carceribus positis, viduis, necnon egenis,  
 Atque monasteriis sacris, mæstisue pupillis  
 Nobilitate sua, sua sic laudandaque vita,  
 Quod magis gratus, quod nec par tempore ullo,  
 Fulsit in Hispania penitus regione tiara.  
 Pergit ad excelsa primatis tam ardua mitra,  
 Mille quadringentis undenis protinus annis,  
 Bis simul adiunctis, decimo sed mense supremo  
 Octo ter ac deni residebant transtra diei.*

Ostium vero ipsius Sacelli clathris ingentibus obturatur ferreis. E regione cuius conspicimus altare maximum ad Septemtrionem, ubi sacrosanctum Christi Corpus perpetuo custoditur, desuper tabulis absolutissimo penicillo depictis ornatum, atque à pavimento quinque gradibus sublimius, tessellis undique adopertis. Prope admodum adiacet dicti domini Sancii *de Roxas* marmorea imago, exactissime excisa, vividisque coloribus delineata, super lapideum monumentum imposita, quæ plerumque ligneo tegumento, ferreis filis contexto, coriaceo velamine (quod vulgo *guadamecil* appellant)

superstrato, obtegitur. Inter sepulcrum et altare candela cerea, ab Archiepiscopo domino Ioanne, Patriarcha (ut aiunt), relicta, noctu diuque iugiter ardet. Iuxta altare hoc, multis sacræ paginæ historiis ornatum, capellani stationem (quam dicunt chorum), cancellis ferreis à populo divisam, sibi præscripsere. Quibus dictus dominus Sancius *de Roxas* sex dumtaxat capellanis, quinquies per hebdomadem singulatim rem divinam facturis, proventum reliquit. Crescentibus vero deinde redditibus annui census, Capitulum (ad quod pertinet huius capellæ administratio) numerum ad viginti Sacerdotes auxit,

eis-

eisque canonicus præponitur. In quorum numero alter duorum rectorum, curam parochiæ gerentium, habetur. Nam cum unicus esset huius parochiæ rector, Reverendissimus Cardinalis Petrus Gundisalvus Mendozius alium constituit. Hi igitur sacellani quotidie, præter dictas Missas, communem aliam diei ad secundum cymbali tactum, de prima dictum, pro fundatoris anima omnes una tenentur decantare. Officiumque defunctorum itidem ad secundam vesperorum pulsationem dicturi conveniunt. At cum aliquod occurrit Divorum festum, quibus Sacella, aut oratoria pilis Basilicæ adhærentia, dicata sunt, in cuius festi laudem omnis cœtus beneficiariorum, decantatis in choro vespertinis horis, suo ordine eius Sacellum, seu oratorium, preces ex more soluturi adeunt, facta commemoratione, suffecti statim in illorum locum huius Divi Petri Basilicæ capellani in Sacello vel oratorio illo vespertinas eiusdem festivitatis horas, ac sequenti die Missam cum concione sollemniter celebrare, eiusdem Præsulis institutione tenentur. Ad dextram aræ præcipuæ posticum adest, quo sacrarium huius parochiæ adimus. Ubi duodecim capsæ, iuxta parietem septentrionalem positæ, ornamenta omnia custodiunt: aliæque duæ præter has habentur, quarum prima ad vasa sacra Sacelli; altera item ad cereos confraternitatis Sacramenti asservandos destinatur. Præterea ad parietem meridionalem duæ aliæ sunt capsæ, libros ad Sacramenta conferenda, aliaque ad eorum ministerium necessaria,

redituum insuper, et possessionum parochiæ et Sacelli chirographa continentes. Sunt etiam hic plutei, qui libros, per totum annum officii divinis inservientes, sustinent. His adiacet altare è nigro marmore structum, ubi tempore interdicti divinum peragitur officium. Continuo sequuntur cochlides scallæ, quibus duas cellas, custodi Sacelli destinatas, ascendimus, quæ lucent pulchris vitreis, stemmate domini Sancii *de Roxas* insignitis. Extra chorum à lateribus sub parietum arcibus alia duo collocantur altaria: ad quodvis eorum tribus ascendimus gradibus. Dextrum, Mariæ Virgini dicatum, Petrus Alphonsus, Abbas S. Vincentii, extruxit, in quo instituit capellaniam trium in hebdomade Missarum, ædituoque reditum, necnon vasa plurima argentea huius Sacelli ministerio reliquit. Sinistrum vero, Divo Nicolao sacrum, Gundisalvus Sancius *de Madrigal*, Archidiaconus Oretanus, Toleti canonicus, Regis consiliarius, erexit. Huius lapidea effigies prope hoc altare prominet in orientali pariete. In occidentali autem, non longius ab altari, post cellulam, ubi minutæ res asservantur, recondita est arca, variis circumquaque variata coloribus, in quam elemosyna ad emendum ceram Sanctissimi Sacramenti confertur, quæ ferreis cuspidibus munitur, ut latrunculos abigat. Hærent præterea huic parieti duo plutei ferrei, qui singula breviaria membranea ecclesiastica, suis catenulis innixa (ne ab aliquo surripiantur) sustinent. Hisque clerici mercenarii horas canonicas persolvunt, ne librorum

pe-



penuria tam sanctum opus omitatur. Denique iuxta valvas præcipuas huius parochiæ aliæ sunt scalæ, quibus organa, supernumque chorum, his valvis superimpositum, petimus, in quo diebus tantum sollemnibus decantantur divina<sup>(1)</sup>.

## CAP. XLIX.

*De capellis chorum beneficiariorum circumstantibus, ac primo de Sacello Sanctæ Mariæ Magdalena.*

Hactenus recensuimus Sacella intra Ecclesiam parietibus inhærentia: nunc vero ad ea quæ in ambitu chori beneficiariorum locata sunt, regrediamur. In exteriori igitur eius parte ad meridiem est ædicula Beatæ Mariæ Magdalena contra Divi Christophori imaginem. Ubi pro anima Reverendissimi domini Roderici, Toletani Archiepiscopi, quinque Missarum sollemnia singulis hebdomadibus peraguntur. Quoniam vero frequenter hoc in opere de Illustrissimo domino Roderico, Toletano Antistite bonæ memoriæ, mentionem facimus, æquum quidem erit, omissis aliis, quæ eum virum satis commendant, et extollunt, vel illud unum enarrare, quod omni-

(1) Exterior forma huius capellæ parochialis nullatenus immutata est; sed interior pulchrior, et solidior, et secundum regulas artis ornatior reddita. Altare namque maius ex iaspide et marmore est constructum: supra id parieti hæret effigies S. Petri, paralyticum sanantis in ingressu templi Hierosolymitani; opus sane perfecte absolutum à Francisco Baieu, nostri Catholici Regis celebri pictore: ornatur, et cingitur ora marmorea, affabre facta. Quattuor præterea altaria ex iaspide in prædicta capella erecta sunt, duo

bus (ni fallor) maximum ac pulcherrimum facinus videbitur, dominum videlicet Rodericum, summo ingenio præditum, doctrina ac variorum idiomatum peritia insignem, in Concilio Lateranensi, cui Innocentius III. Pontifex præfuit, congregatis omnium ferme Ecclesiarum Præsulibus, infinito deinde dissimilium gentium numero, orationem habuisse, in qua (ne quempiam eius verba laterent) sex idiomatibus, hoc est Romano, Teutonico, Gallico, Anglico, Navarriensi, et Hispano, usus fuit. Huius rei testimonium mihi præstant multi viri docti, et postremo codex quidam vetustus, ex diversis antiquorum patrum voluminibus, atque privilegiis compositus, cui titulus est: *De primatu, nobilitate, ac dominio Ecclesiæ Toletanae*. Eadem verba, quæ in ipso volumine habentur, quoniam scitu quidem digna, hic subtexenda decrevi.

«Anno Domini 1215, mense  
»Novembris, celebrata est sancta  
»et universalis Synodus Romæ in  
»Ecclesia Sancti Salvatoris, quæ  
»Constantina vocatur, præsidente  
»domino Innocentio Papa III,  
»pontificatus eius anno 18, in qua  
»fuerunt Patriarchæ duo Constan-

ti-  
in dextro, et duo in sinistro latere: scilicet duo (in quibus collocatæ sunt imagines S. Petri Oxomensis, et S. Iuliani Conchensis) expensis domini Mathiæ de Robles, Archidiaconi Toletani: alia duo altaria in honorem S. Ignatii, et S. Francisci Xaverii dicata sunt, quæ antea, haud recte constructa, extabant extra portam huius capellæ, et veluti affixa columnis Ecclesiæ. Omnis denique ambitus capellæ est in meliorem formam restitutus: sacristia, et aliæ officinæ fere à fundamentis erectæ.

»tinopolitanus et Hierosolymita-  
 »nus; Antiochensis autem Patriar-  
 »cha, gravi languore detentus, ve-  
 »nire non potuit, sed misit pro  
 »se vicarium Antarodensem Epi-  
 »scopum: Alexandrinus vero Pa-  
 »triarcha, sub dominio Saraceno-  
 »rum constitutus, similiter venire  
 »non potuit, sed misit vicarium  
 »suum Petrum diaconum germa-  
 »num suum. Fuerunt autem in  
 »eodem Concilio Primates et Ar-  
 »chiepiscopi numero 71, Episco-  
 »pi vero 412, de Abbatibus, et  
 »aliis religiosis personis, et Deca-  
 »nis, et Prioribus, Præpositis, Ar-  
 »chidiaconis, et aliis clericis sæcu-  
 »laribus, et procuratoribus Princi-  
 »pum, Conciliorum, et commu-  
 »nitatum, de diversis mundi par-  
 »tibus congregatis, non fuit nu-  
 »merus. Et in hac generali Syno-  
 »do Rodericus, Archiepiscopus  
 »Toletanus, et Hispaniarum Pri-  
 »mas, de licentia Pontificis pro-  
 »posuit verbum Dei, incipiens,  
 »et finiens in latino sermone; sed  
 »quia de diversis mundi partibus  
 »tam clerici, quam laici ibidem  
 »convenerant, ut omnibus satisfac-  
 »eret, suas in prædicando pausa-  
 »tiones et interpolationes faciendo,  
 »eadem auctoritates et rationes,  
 »propositas in latino, exposuit lai-  
 »cis et illitteratis in linguagiis ma-  
 »ternis, videlicet Romanorum,  
 »Teutonicorum, Francorum, An-  
 »glorum, Navarrorum, et Hispa-  
 »norum. Huiusmodi autem prædi-  
 »cationis expositio placuit in con-  
 »spectu omnium, non solum sub-  
 »tile, sed potius admirabile repu-  
 »tantes; cum à tempore Aposto-  
 »lorum vix crederetur, seu ab ali-  
 »quo audiretur, vel scriptum re-

»pertum fuisset, aliquem alicubi  
 »sub tot modis idiomatum, seu  
 »linguarum, in uno et eodem ser-  
 »mone verbum Domini prædican-  
 »do taliter exposuisse.”

CAP. L.

*De Sacello Beatæ Elisabeth  
 de Ungaria.*

Uterius vero S. Elisabeth de Un-  
 garia Sacellum è vestibulo capituli  
 huius almæ Ecclesiæ huc trans-  
 latum invenitur. Ubi Ioannis Al-  
 phonsi institutione singulis hebdo-  
 madis quinquies res divina occur-  
 rentis diei recitatur.

CAP. LI.

*De Sacello Sanctæ Catharinæ.*

Lucas de las Peñas, canonicus  
 Toletanus, in honorem S. Catha-  
 rinæ condidit Sacellum è vestigio  
 sequens, stipendiumque sacellano  
 pro tribus in qualibet hebdoma-  
 da Missis reliquit: feria secunda,  
 pro defunctis: feria quarta, de Tri-  
 nitate: die vero Sabbati, de Beata  
 Maria. In eodem item Sacello tres  
 aliæ Missæ pro anima doctoris  
 Ioannis Martini de Herrera, To-  
 letani canonici, dicuntur, quibus  
 unus ædituus inservit.

CAP. LII.

*De ara Divæ Mariæ, quæ Hi-  
 spane del Estrella dicitur.*

Deinde Fernandi Perez de Aya-  
 la, canonici Toletani, liberalitate  
 fundata est ædicula in memoriam  
 Mariæ Virginis, quæ del Estrella  
 vulgariter dicitur, quondam del  
 Pilar, eo quod ibi fons factitius

ex





ex quadam pila olim fluebat, ubi populus præcipuis festivitibus hinc inde magna devotione in hanc sacram Basilicam veniens, bibere solitus erat. In Sacello hoc tria in hebdomada dicti Ferdinandi impendiis sacra persolvuntur: primum pro defunctis, secundum de Angelis, ultimum de Sancta Maria. Hic præterea dominus Fernandus *de Illescas*, Cantor, ac Toletanus canonicus, rem divinam singulis diebus per duos sacellanos alternatim fieri iussit.

## CAP. LIII.

*De altari depositionis sanctissimi Corporis Iesu à cruce.*

Proxima est ædicula, pietate et splendore decorata, à Nicolao Ortiz, canonico Toletano, erecta; à Roderico vero Ortiz eius nepote, eiusdemque Templi canonico, reditu instituto. Ubi eximium opus Nicodemi et Iosephi ab Arimathia, qui Iesum à cruce deposuerunt, sculptis mirifice eorum imaginibus, excisum recolitur. In hac ara eiusdem Roderici sumptibus duo sunt instituti Sacerdotes cum æditimo, qui alternis hebdomadis ibi pro fundatorum manibus rem sacram solvere tenentur.

## CAP. LIIII.

*De Sacello Divi Michaelis.*

Tria proxima Sacella nominata sunt in tergo chori contra ianuam,

(1) Prædictæ quattuor capellæ, quæ circumdant chorum à parte meridionali et septemtrionali, propter nimiam illarum obscuritatem, et inconvenientiam, quæ ex hoc oriebantur, occlusæ nuper fuere; ipso-

quæ dicitur *del Perdon*. In sinistra vero parte ad Septemtrionem fundata est ædicula S. Michaelis, ubi quattuor qualibet hebdomade Missarum sacrificia pro anima Petri Nuñii, portionarii Toletani, celebrare, interesseque officiis in choro capellanus tenetur. Hic etiam Didacus Perez Presbyterum cum ædituo, qui centum quinquaginta sex Missas annuatim celebraret, præposuit.

## CAP. LV.

*De Sacello Beati Petri Oxomensis.*

Succedit deinde ædicula S. Petri Episcopi Oxomensis, è regione parochiæ Divi Petri posita, in qua duæ sunt institutæ capellaniæ: alteram Didacus Rodericus *de Oviedo*, portionarius Toletanus, cum officio centum quinquaginta sex Missarum singulis annis; alteram vero quidam Sancius Fernandez, portionarius etiam, cum cura duarum Missarum in hebdomada instituit<sup>(1)</sup>.

## CAP. LVI.

*De ædicula quæ Dominici Sepulcri dicitur.*

Nempe ex iis, quæ passim per Ecclesiam visuntur, nihil augustius videtur esse, quam venerabilis Servatoris nostri sepulcri memoria, quæ in subterranea ædicula sub altari maiori structa, duabus validissimis columnis suffulta, colitur. Ubi olim erant Regum veterum ca-

que in aditu singularum constructum fuit marmoreum altare, cum imagine lapidea illius Sancti, cui erant antea dicatæ, elaborata ab opifice Mariano *de Salvatierra*.



cadavera, quæ nunc ad latera eiusdem maximi altaris (ut diximus) sita sunt. In hoc sacro loco duæ sunt aræ<sup>(1)</sup>: altera Divo Iuliano, altera vero S. Sebastiano sacræ. In hac tres capellanas Rodericus Tenorius, Ægidius de Roxas, Ioannes, cognomento *Duque de Strada*, canonici Toletani, mandarunt: primus quater in hebdomada celebrari Missam instituit; secundus ter, itidem et tertius: quorum quilibet suum sacellum præfecit. Ægidius vero adhuc ædituum adiunxit. Sunt hic etiam duo armariola, ad asservandum vestimenta, et omnia divini cultus ministerio necessaria. In confinio igitur prædictarum ararum medium est Dominicum sepulcrum, accuratissime excisum, clathrisque ferreis septum. Est præterea alius æditimus sepulcro destinatus, qui omnibus chori Sacrificis, pro devotione celebraturis, ornamenta cum aliis divinæ rei faciendæ necessariis præstat. Binis in hunc specum descendimus scalis, alteris ad Meridiem, ad Septemtrionem alteris spectantibus, septione ferrea munitis. His septemtrionalibus si quis fuerit egressus, in exteriori parte chori, contra sacrarii ostium, inveniet altare marmoreum, à Petro Gundisalvo Mendozio erectum, in quo tres Missæ singulis diebus eiusdem institutione solvuntur. Quod patet ex titulo supra hanc aram inscripto

(1) Præter hæc altaria, quæ enumerat Ortizius in Sacello sepulcri infra pavementum altaris maioris, est et aliud præterea altare postea extractum, in quo corpus S. Ursulæ Virginis integrum, ut visitur, in quadam capsâ magnifica custoditur: hoc altare, clathris ferreis circumseptum, solis canonicis ad sa-

his verbis: *Illustris Petri cardinalis, patriarchæ Alexandrini, Toletanique Archiepiscopi celebris institutio: pieque devotionis memoria, sæculis perpetuis futura, ter quotidie Missarum solennia solventur sub lucem prima, ad tertiam altera, in nonaque tertia.* Hic magnificentissimus Archipræsul, intra alia pietatis opera, dotavit omnes Missas, quæ in choro præcipuæ Basilicæ celebrantur; et completorii quadragesimalis præmium auxit, ut beneficiarii, devotione, aut præmio allecti, illis adessent.

CAP. LVII.

*De ædicula Virginis Matris descensionis sacræ, et oratoris huius Ecclesie pilis adhærentibus.*

Quis autem plurimas Sanctorum deauratas imagines, pilis fere omnibus affixas enarrabit? Quibus sua quondam adiacebant altaria: quæ, cum eis deambulantium turba debitam reverentiam non exhiberet, et ne eorum multitudine Ecclesia impediretur, penitus amota sunt<sup>(2)</sup>, relictis modo imaginibus, binas circiter ulnas à pavimento altioribus, ne eius rei saltem memoria periret.

Dignum tamen fuit, ut altare descensionis Virginis dicatum, iuxta quod sedit ipsamet Dei Genitrix,

Non non crum celebrandum patet.

(2) Altaria, pilis adhærentia, multis abhinc annis fuerunt sublata; et imagines, quæ erant superius positæ, meo in Præsulatu quædam translata, aliæ vero ex lapide de novo constructæ sunt meliori forma, et omnes in aptiori loco appositæ fuerunt.



non submoveretur. Quod, de super ornatum schemate, ex limpidissimo alabastro exciso, exprimente Virginem Mariam induentem suum sacra veste Alphonsum, intrantes portam Cymbalorum, si ora ad Aquilonem vertant, è iaspide confectum videbunt intra exiguam ædiculam tertiæ pilæ adhærentem, ab utroque latere cancellatam, clausamque valvis ferreis, meridiem versus positam: quæ licet angusta, structura tamen augustissima. Eius namque testudinem, cæruleo colore deliniatam, stellisque plurimis fulgentem, quatuor porphyriticæ sustinent columnæ; illamque pulchriorem reddit turrícula, pinnis elegantibus circumdata, in sublime tendens instar pyramidis, supra eam mira venustate elaborata, cuius acroterium tenet imago quædam lapidea. Subtus sinistrum cornu altaris asservatur saxum, reticulo ferreo munitum exterius, in quo steterunt Beatissimæ Mariæ Virginis pedes, super quod huiusmodi metrum, petra sculptum, legitur:

*Quando la reyna del cielo  
Puso los pies en el suelo,  
En esta piedra los puso.  
De besarla tened uso  
Para mas vuestro consuelo.*

Quare cives Toletani magna devotione lapidem hunc, utpote scabellum sacris Mariæ Virginis tactum pedibus, deosculantur. In

(1) Iuxta hoc altare sepultum est corpus dignissimi, et venerabilis prædecessoris mei, domini Balthasaris de Moscoso et Sandoval, cuius effigies ærea deaurata cernitur in frontispicio: nemo vero

hoc altari celebratur quotidie Missa, per Reverendissimum Alphonsum de Fonseca, Archiepiscopum Toletanum, instituta, deputatis ad id duobus capellanis hebdomadatim celebrantibus: idque post peractum Missæ maioris officium. In festi huius Sanctissimæ Descensionis vigilia beneficiarii chori cum sollemni pompa aram hanc adeunt, iuxta quam cum commemoratione vespertini psalmi finiuntur. Quibus peractis, ex institutione Alphonsi Sancii, huius Ecclesiæ portionarii, sacellani chori vespere, et sequenti die Missam, quo Toletana Ecclesia dictum miraculum recolat, stipendio consignato, sollemniter decantant<sup>(1)</sup>.

#### CAP. LVIII.

##### *De educatione infantum expositorum.*

Deinde pilæ, parochiæ Divi Petri è regione positæ, adhæret ingens instar cunarum lapis, ubi infantes, paterno relegato pietatis officio, publicæ misericordiæ ob pudorem servandum furtim exponuntur. Educanturque expensis hospitalis Sanctæ Crucis, ab Illustrissimo Cardinali Petro Gundisalvo Mendozio in hac urbe conditi, annis singulis quadringenti et amplius infantes. Sed non satis tot infantum multitudinem hospitali sustentare valente, in eorum educationis subsidium, et piam subventionem, tria millia argentorum, vel miretur hunc Præsulem tam prope altare iacere; licet enim Sanctorum albo non sit adscriptus, eius tamen virtutis fama ubique nota est, ut cuilibet videre licet in eius vita typis edita.

vel regalium nummorum, ex æquo ab Archiepiscopo, Ecclesiæ fabricæ proventu, et Capitulo quovis anno offeruntur<sup>(1)</sup>. Pueris autem puellisque necessaria tribuuntur, donec ab aliquibus piis hominibus adoptantur, aut ad serviendum, quisque, prout obvenit, eliguntur; certam demum mercedem ab ipsis suscepturi. Opus hoc infantia huiusmodi alendæ, omnisanè commendatione dignum, à Francisco Ortiz, canonico Toletano, in hospitali, quod ipse curandis amentibus, seu insanis hominibus construxit, primo cœptum est<sup>(2)</sup>. Quod postea à prædicto Cardinale Petro Gundisalvo Mendozio, crescente pro hominum malitia expositorum numero, adeo ut nonnumquam quingentos fere lactari contingat, aucta vectigalium quantitate, illuc, ubi nunc est, fuit translatum. Nutrices vero in festo Natalis Beatæ Mariæ eo ordine, quo in supplicationibus fieri consuevit, præeunte Cruce, et vexillis insignia Illustrissimi Cardinalis indicantibus, à prædicto hospitali ad sanctissimum usque Templum veniunt, quælibet alumnum suum, cæruleo

alboque indumento vestitum, bauiulans. Dicitur autem Franciscus Ortiz in infantium alendorum locum tredecim senes, qui è secunda fortuna in egestatem incidissent, sufficiens instituit.

CAP. LIX.

*De claustris descriptione usque ad domini Petri Tenorii Sacellum.*

Ventum est ad ultimam partem operis, non minus difficilem, ubi de connexis Ecclesiæ aliqua debent explicari. Claustum in primis adeo amplum, magnificentum, sublime, atque superbum est, totque rerum pictarum varietate nitescit, ut hoc unum per se Ecclesiæ nostræ membrum cum aliarum urbium templis de magnitudine et elegantiâ possit contendere<sup>(3)</sup>. Non longe à tibicine, saxum expositorum infantium continente, illius patet aditus præcipuus, capellæ Divi Petri contiguus, per quem si quis intraverit, statim ad sinistram videbit ingentes quasdam cumeras ligneas, ubi panis coctus, singulis diebus pauperibus per

Nnn 2 unum

(1) Proventus huius hospitalis Sanctæ Crucis magnopere excreverunt, postquam scripsit Ortizius: Cardinales etenim dominus Balthasar de Moscoso, et dominus Ludovicus Portocarrero suo in testamento tum temporis cum debita licentia Sedis Apostolicæ heredem illud instituerunt. Quam ob causam merito numeratur, ut præcipuus fundator, Archiepiscopus Mendoza, et ut insignes benefactores, Archipræsules Moscoso, et Portocarrero; quorum omnium effigies in Ecclesia hospitalis iuxta altare maius sunt appositæ.

(2) Hospitale, amentibus destinatum, vulgo del Nuncio, multis abhinc annis segregatum, commodiorem in locum (Deo volente) transferetur in magnificam fa-

bricam, quæ ædificata iam est, sumptibus meis præcipua ex parte.

(3) Expensis fabricæ sanctæ Ecclesiæ recenter ornatum est hoc claustum picturis à contententibus hinc inde regiæ cameræ pictoribus domino Francisco Baieu, et domino Mariano Maella. Ibi ad vivum repræsentantur prædicatio evangelica Sancti Eugenii I, eius martyrium, et translatio corporis. Alia in claustris linea martyrium et obitus S. Leocadiæ. In alia Sancta Casilda, eiusque obitus; simul etiam S. Ildephonsi, Eugenii III, atque Helladii imagines conspiciuntur. Nec silentio prætere debemus, etiam ibi martyrium S. Infantis oppidi de la Guardia, à Iudæis crucifixi, apprimè depictum esse.



unum canonicorum distribuendus, asservatur<sup>(1)</sup>. Hanc quidem eleemosynam, hoc est sexcentas tesseras frumentarias (quæ vulgo dicuntur *hanegas*), Prælatus, fabrica, et Capitulum æqualibus portionibus conferunt; habent enim mensas discretas, quod iure non improbat: ut in cap. edoceri de rescrip. Ad dextram vero gymnasium se offert, cathedraque ibi sacræ paginæ, dotata (proh dolor!)<sup>(2)</sup> et deserta (raræ

(1) Postquam regia pietate, et sumptibus meis refectum est, et fere totum extractum palatium regium, denominatum *Alcazar*, ut domus esset caritatis, pauperibus iuvandis deserviens, in qua infantes religione imbuerentur, simulque iuvenes in officiis, et artibus textoriis serici et lanæ exercerentur; eleemosyna tritici in meliorem usum commutata est: nam et Præsul et Capitulum eam quotannis assignarunt, ut pauperes, in regia ista domo caritatis commorantes, alerentur.

(2) Ingemuit Ortizius, et ingemisco ego, desertam esse cathedram, in qua debent clerici edoceri sacram Scripturam: nec enim ommissio hæc ullo prætextu excusari potest; cum Præbenda Lectoralis in Ecclesiis Cathedralibus præcipue instituta sit, ut eam obtinens, sacras litteras explicet; quod propterea munus tenetur adimplere, ut faciat fructus suos: et pariter dicendum de canonico Pœnitentiariorum, cui alias obligatio incumbit confessiones audiendi. Magna autem sollicitudine Præsulis, et Capituli curandum est, ut Primatus Ecclesiæ Toletanæ nedum in proventibus, templi magnitudine, et sacra suppellectili resplendet, sed in magisterio, et munerum adimplerione, canonicis tam in choro, quam in cathedra, ceteris Ecclesiis exemplum præbentibus: cum aliunde neque Prælati auctoritas, vel Capituli, neque fundatores in suis testamentis possint præcipere, ne hæc leges canonicæ locum habeant, sive quod canonici Lectoralis, et Pœnitentiariorum debitis stipendiis priventur, dum officiis suis in cathedra, vel in confessionali satisfaciunt.

(3) Bibliorum, et sacrorum custos in hac sancta Ecclesia mea Toletana est Thesaurarius, seu Sacrista, ut vocatur in iure Canonico, ad quem pertinet nominare vicem eius gerentem tam in Sacratio quam

enim lectiones leguntur, cum quotidie essent legendæ); et in eo gymnasium scalæ sunt, quibus itur in Bibliothecam, vetustam quidem, sed utilem, copiosamque, cui assidet custos stipendiarius<sup>(3)</sup>, qui eius ostia claudit, et aperit volentibus libros evolvere, eidemque cura est mundandi aulam, ac pulverem librorum excutiendi. Continuo est officina, ubi multa instrumenta servitio Ecclesiæ, et repræsentatio-

in Bibliotheca. Ego quidem ipse, dum canonicatu potirer, vices gessi domini Romualdi *de Velarde*, postea Episcopi Abulensis, et domini Francisci *Perez Bayer*, qui nunc est Bibliothecarius maior regis Bibliothecæ, et Archidiaconus Valentinus. Equidem hæc dignitas in novissima concordia cum Sede Apostolica fuit reservata S. Pontifici; sed absdubio in eius reservatione latuit officium custodiendi sacra, et Bibliothecam S. Ecclesiæ, in qua asservantur pretiosa et selectissima MSS. ad quæ evolvenda, et de eis rationem reddendam necessaria est persona antiquitatis non ignara: nam cum ad eam invisendam accedant non solum huius regni clarissimi viri, sed etiam exteri, indecorum est, ut ibi non assistat canonicus omnigena, quantum fieri potest, eruditione refertus. Certe in Ecclesia adeo magna expedit maxime præcellentia in virtute et doctrina Præsulis et canonicorum.

Archiepiscopus dominus Petrus Tenorius primus fuit, qui suam Bibliothecam Ecclesiæ donavit, et hæc est quasi fundamentum illius, quæ hodie omnibus admirationi est; in ea enim recondita sunt Biblia sacra Gothica, codices Conciliorum, Sacramentalia, Ritualia, et alia MSS. ad ritum Gothicum pertinentia, quæ sæpius perlustrarunt P. Mariana, clarissimus Ioannes Baptista Perezus, Cardinalis *de Aguirre*, prælaudatus Franciscus *Perez Bayer*, Patres *Burriel*, et *Florez*, plurimamque ex eis decerpserunt.

Præter hanc Bibliothecam S. Ecclesiæ alia copiosior est, omnibus patens, Archiepiscopalis scilicet, à me erecta, et ditata selectissimis voluminibus, Museoque adiacenti, quod non tam copia rerum, quam electione, ex partibus regni mineralis, vegetabilis, et animalis, magno opere æstimandum est.

tionibus actuum, qui festis sollempnioribus fiunt, reponuntur. Inter quam et capellam subsequenter quoties gradus magisterii litterarii per Scholasticum conferendi sunt (is enim est qui academiam Toletanam moderatur), tabulata quædam extruuntur, omni ornamento et splendore referta, atque illic de more convenitur, et studiorum labores et vigiliæ præmiis dignissime cohonestantur.

## CAP. LX.

*De Sacello domini Petri Tenorii Toletani Antistitis, et eius præclaris operibus.*

**D**omini Petri Tenorii, Archiepiscopi Toletani, monumenta quis maxima admiratione non prosequatur? Ipse enim sumptuosum hoc claustrum ædificavit, iecitque primum lapidem pridie Assumptionis candidissimæ Virginis, anno Domini 1389, ibique Sacellum, quod quinque, albo nigroque lapide structis, gradibus ascendimus, eleganter struxit, contra dictam claustrum ianuam aditum habens, clathris quidem ferreis, necnon ligneis valvis obturatum. Omnes eius parietes interius Sanctorum historiis, animisque Ethnicorum tartareis flammis ardentium, undique depicti sunt. Sacellum hoc tria ad Orientem posita continet altaria, sacrumque, ubi omnia eius ornamenta cum aliis ad divinum cultum facientibus custodiuntur. Dicitur Archiepiscopus septem capellanos idoneis redditibus instituit, quibus singulis quattuor Missas unaquaque hebdomada celebrandas adiunxit, præter communem aliam,

quæ ab uno ex Sacrificis, aliis ad secundum sonum cymbali de prima congregatis, officiumque cantantibus, quot diebus celebratur. Vespere autem secundo campanæ vespertinæ pulsatu ad horarias preces defunctorum omnes conveniunt. Cuius institutionis patronatum Capitulum obtinere voluit. Cumque reditus ab ipso assignati in dies auferentur, decreto patronorum eisdem ex proventibus additi sunt alii novem sacellani, totidem obæratii sacrificiis. Sancitumque est insuper, ut quovis anno unus ex canonicis Presbyter in universis administrandis præcipuerat vices sacellani. Fundatoris vero corpus sepulcro sub marmoreo eiusdemque statua super effigiata mediam capellæ partem occupat. Iuxta quod, paulo humilior, est alterum monumentum Episcopi Placentini Vincentii *Arias, de Balboa* dicti, optimi et religiosi viri, eiusdem Archiepiscopi quondam capellani. Alia sane plurima hic magnificentissimus Archipræsul celebria pulchraque opera effecit, quæ scitu utpote dignissima, ut in exemplaribus Ecclesiæ annotatum reperi, huic opusculo adnectere visum est. Ipse enim in Tago fluvio, qui Toletum ferme ambit, pontem, Divi Martini appellatum, antea exiguum nimis et angustum, ubi multi discrimina vitæ patiebantur, altum munitumque (ut cernere est) ædificavit. Castellum præterea S. Servandi nominis, trans pontem *de Alcántara* situm, pro huius urbis defensione ac munitione, pæne dirutum, resarcivit. Cœnobium ordinis Divi Hieronymi in oppido *de Tal-*

*la-*



*lavera* condidit. Oppidum quoque *de Villafranca* à primordiis fundavit, ibique Ecclesiam sex Sacerdotum assignatis vectigalibus struxit. Atque hospitale duorum impluviorum, quorum alterum feminarum, alterum virorum est. Omnesque advenas pauperes ac peregrinos unius dumtaxat diei naturalis spatium commorari, ac eisdem alio profecturis ex præfecti hospitalis sententia viaticum erogari iussit. Pontem rursus iuxta dictum municipium erexit geminis turribus validissimisque munitum, ab ipso quidem auctore Archiepiscopalem nuncupatum, à quo oppidum etiam ipsum Pons Archiepiscopi appellatur. Porro tria castra Ecclesiae Toletanæ, scilicet *Canales*, *Alhamin*, *Almonazir*, quæ iussu Regis domini Petri diruta fuerunt, instauravit. Nec vero his tantum acquievit, quin castellum etiam munitissimum iuxta oppidum, quod *Alcala* regia nuncupatur, in confinibus regni Granatæ struxit, ut illud captivi Christiani, qui manus Saracenorum evasissent, in protectionem suffugiumque haberent. Inque sublimi eius turri mirandæ magnitudinis olei lampadem collocavit, cuius lux et splendor tres circiter leucas fulgebat, ne illuc confugiētes, dispendium ullum, erroremve paterentur. Vir profecto sanctissimus, et qui vitæ huius dubiæ illecebras contemnens, ad perpetuam se toto animo parare videretur. Cæterum hisce paucis ex iis, quæ ille inclite gessit, prælibatis, ad inceptum nostrum revertamur. Hic ergo absolvitur Sacellorum numerus: nam prout nobis insti-

tutum fuit, ab ærario sacro exordium sumere, ac deinceps per gyrum procedere; ad hanc partem tandem deventum est, qua nimirum Sacella clauduntur: ubi mihi gratulari libet, quod, quemadmodum in proeliis contingit, ut extremi quique in fine collocentur, ita etiam in præsentia obverit, ut ultimam manum Ecclesiae adponenti hoc domini Petri Tenorii Sacellum occurrerit, quod multis nominibus celebrari dignum existit.

## CAP. LXI.

*De numero beneficiatorum.*

Est ergo numerus omnium beneficiatorum, ne forte lector in illis recensendis distorqueatur; si velit modo à choro, et deinde per singula Sacella enumerationem facere, quadringenti quadraginta quattuor: ubi lector attendas, obsecro, totam hanc multitudinem quaternario numero (eoque triplici) absolvi, qui nimirum in Pythagorica doctrina augustissimus et sacrosanctus erat. Ordinem hic singulorum apponere placuit, etiamsi postea in libelli fine, versibus quibusdam, (ut memoria facilius teneas) complectendum curavimus, ne sit quod de nobis conqueri possis in omnibus tibi non satisfactum esse.

Archiepiscopus Primas Hispaniarum.

Quattuordecim dignitates.

Canonici præbendati quadraginta.

Quinquaginta portionarii.

Viginti canonici extravagantes.

Capellani, de Choro nuncupati, quadraginta octo.

Tri-

Triginta septem Sacerdotes stipendiarii, qui horis solum nocturnis sunt deputati.

Clericuli quadraginta, ex quibus sunt sex electi musicæ.

Capellani capellarum, cum aliquot sacristis, et clericellis, centum nonaginta quattuor.

Quorum numerum nulla nunc Ecclesia præter Toletanam reddere poterit, licet olim templum Constantinopolitanum plures beneficiarios contineret, ut leg. non plures, de sacros. Eccles. Cod. quod felicissimo tempore tuo, Princeps augustissime, in pristinum statum restituendum speramus.

CAP. LXII.

*De ultima claustris descriptione.*

Omnes claustris parietes picturis Divorum absolutissimis undique ornantur. Quas si quis studiose lustraverit, nempe Apellem ibi penicillum satis graphice exercuisse agnoscat. Et quoniam has ad unguem imagines, et earum primitivorum historias parvo nequaquam tempore aut brevi expositione, sed libro et eo amplo explicare, et prosequi deberem, quod à me in præsentia præstari non potest, nonnullas tantum veluti ex transcurso, à particularibus abstinens, ibi depictas enarrabo. Sed quia opus hoc describi impeditum est, et claritatis non ita capax, operæ pretium erit præscire, claustrum de quo agitur, quattuor habere absides, quæ quadrangulum constituunt, septenos fornicēs sortientes; qui perinde suum parietem velut in septem dividunt spatia, ternas ut plurimum historias con-

tinencia. Atque, ut ab exordio ordinem picturæ optimum (in quo coniicio magna latere mysteria) in scribendo servemus; supra ianuam capellæ domini Petri Tenorii prælium depictum est, quo Michael Archangelus, et Angeli eius præliabantur cum dracone, qui cum Angelis suis per superbiam corruens, angelicum numerum minuit. In prima vero parte parietis orientalis iuxta supradictam historiam aliæ tres visuntur. Prima est formatio primorum parentum: nam cum Angelorum reparationi consuleret omnipotens Deus (quorum decimus ordo de cælo deciderat, ut in cap. hi duo de cons. dist. i. in decretis), protoplastum de limo terræ formavit, qui sui generis propagatione damna cælestis patriæ resarciret. Secunda et media est, uti primi parentes fructum prohibitum degustant, suggerente colubro, os et caput feminæ demonstrante: tertia est depulsio eorumdem per Angelum de paradiso. In secunda parte tres itidem historiæ pictæ habentur: prima, quomodo postquam Ioachim prohibitus fuit offerre in templo, verecundia confusus, ad pastores suos longe abiit, eique apparuit Angelus, ac iussit, imperante Domino, ut ad Annam uxorem suam reverteretur ex ipso germen habituram. Tertia, quomodo S. Annæ Deum oranti, ut maritum suum sibi restitui dignaretur, Angelus identidem Dei iussu nunciavit reditum Ioachim, Virginemque Sacratissimam Mariam ex ipsa nascituram. Media et præcipua est, quomodo Ioachim et S. Anna sese ad portam civitatis invicem con-

spi-



spiciendo, perfusi gaudio, amplectuntur. Tertia pars habet duas tantum historias: altera est, quomodo S. Anna peperit Virginem Dei Matrem: altera, quomodo Virgo ipsa Beatissima quindecim scalarum gradibus ad templum ascendit; et à lateribus adsunt duo Prophetæ. Quarta habet unicam historiam, hoc est, adventum Gabrielis ad Sanctissimæ Incarnationis mysterium salutantis Virginem gloriosam, et Spiritum Sanctum à Patre Supremo demissum, iuxta verbum Archangeli: *Spiritus Sanctus superveniet in te.* Quinta itidem unicam obtinet historiam, scilicet, iter Virginis Sanctissimæ, tribus comitatæ virtutibus, in habitu et figura virginum per montana Iudææ; utque intrat domum Zachariæ, hic gloriosissima Maria et beata Elisabeth summa humilitate se invicem salutant: tum dextra ac sinistra adsunt duo Prophetæ. In sexta parte habetur felicissimum Assertoris nostri natale, multis Angelis, tam in aere, quam apud infantem astantibus; ac Beatissima Mater et Ioseph flexis genibus Iesum adorant, et duo itidem utrimque Prophetæ. Septima et ultima pars huius absidis supra posticum capellæ Divi Petri, iuxta ianuam qua ex claustro in Ecclesiam quatuor gradibus descendimus, adventus Regum Magorum, et adoratio visitur.

Secunda absis meridionalis, Ecclesiæ ambulationi contigua, vacat historiis, ne lux, quæ per claustrum ad Ecclesiam transmittitur, qua illustrantur Sacella, impediatur. Ultima tamen pars eius absidis ad claustri posticum, quo in viam

publicam itur, depingitur oblatione Sanctissimæ Virginis, cum obtulit filium Iesum in templo, et iusti Simeonis tradidit manibus: cui subsunt Archiepiscopus, et chori beneficiarii. Huic deinde picturæ subest tribunal, unde Vicarius urbis ius dicere solitus erat. Tertius absidis paries, viæ publicæ contiguus, propter septem fornices septem pariter divisionibus secatur. In quarum prima sunt tres historiæ: ad lævam, uti Virgo Beatissima orans, habet filium Iesum, sinu fovens, et Angelus apparens Ioseph, monet illum, ducat Matrem ipsam, et Sanctissimum Filium in Ægyptum: media et præcipua est, quomodo Virgo pretiosissima, et beatus Ioseph cum infante in Ægyptum tendunt. Tertia est eorum ingressio, quando omnia idola Ægypti corruerunt. In secunda sunt item historiæ tres. Prima, occisio Infantium innocentium: secunda, ubi Redemptor noster, suæ ætatis iam duodecimum agens annum, disputabat in templo inter doctores, et quomodo sua Mater et Ioseph, solliciti, templum ingrediuntur, cum ipsa dixit: *Fili, quid fecisti nobis sic?* Tertia, quomodo Iesus intrat fluvium Iordan, atque à Divo Ioanne baptizatur. Sequens divisio continet totidem historias: prima est dæmonis imago, Servatorem nostrum tentantis: secunda transfiguratio Domini nostri in monte Thabor cum tribus discipulis, Moyse et Helia astantibus: tertia est Assertoris nostri imago, Divum Lazarum exuscitantis è monumento. In quarta parte depictum est, quomodo Dominus noster ingreditur Ierusalem, asse-

ctan-

ctantibus discipulis, et susceptio sibi facta: prope autem hanc historiam videre est imaginem Redemptoris nostri, de templo negotiatores eiicientis. Quinta divisio tres continet historias: prima est ablutio pedum Apostolorum ab eorum Principe Iesu facta: secunda est cœna Domini cum discipulis: tertia oratio facta à Christo benedictissimo in hortis. Sexta totidem sortitur historias: prima, ut Dominus noster columnæ alligatus est, et carnifices sanctissimum corpus verberibus afficiunt: secunda media et maxima est, quomodo Redemptor noster stat coram Pilato, sententiam pronunciante contra iudicem de nobis sententiam laturum: tertia est, quomodo Christus Dominus noster crucem humeris baiulat. In septima et ultima parte unica depicta est historia, scilicet, Dominus noster in cruce pendens inter duos latrones, et alios permultos perfidos, et scelestos homines, quamvis non deficiunt aliqui religiosi et optimi, scilicet, Mater eius curis ingentibus ægra, Beatus Ioannes et Maria Magdalena cum aliis quibusdam huiusmodi. Sequuntur iam quartæ ac supremæ absidis historiæ enarrandæ, quæ quidem finiuntur ad capellam domini Petri Tenorii, unde huius claustrum descriptio initium accepit. In prima igitur huius absidis divisione tres habentur historiæ: prima, ut sacratissimum Christi corpus, de cruce destractum, repositum fuit in gremio mœstissimæ Virginis Matris: secunda ac media est, quomodo anima sacratissima Christi cum ineffabili divinitate Sanctos Patres in

limbo visitavit: tertia, ut Christi corpus reponitur in monumento. In secunda totidem continentur historiæ: prima, uti Servator noster apparuit Mariæ Magdalena in hortis olitoris habitu: secunda, ut Assertor ipse, armatis obsessus custodibus, prodiit è sepulcro. In tertia ostenditur, qua forma Dominus noster, videntibus discipulis, ad cœlos ascendit cum Angelis permultis, quibus tota hæc pars plena conspicitur. In quarta depictus erat adventus Spiritus Sancti in die Pentecostes, sed parietis uligine maxima ex parte incrustatio dissipata est. Quinta habet Assumptionem Virginis gloriosissimæ, Apostolis astantibus. In sexta cernitur supremum iudicium, quo Dominus noster veniet cum maiestate et potestate maxima, et Beatissima Maria, nostrum omnium studiosissima patrona, à dextris eius, ac discipuli hinc inde sedentes: paulo dein inferius stant ad dextram Beati, albis velaminibus amicti; ad sinistram vero condemnati apud infernum ibidem horribiliter figuratum. Septima ac postrema huius absidis divisio, quæ est supra limina Sacelli domini Petri Tenorii, delinitur unica historia, scilicet lapsu Angelorum damnatorum, veluti in ipso historiarum exordio explicavimus. Sciendum insuper, quod infra historias et figuras supradictas, multæ Sanctorum imagines, agri pascui ac consiti, villæ, mare, montes, lacus, fluentia, rupes, planities, nemora, valles, arbores, prata, herbæ, aves, flumina, et alia huiusmodi plurima perquam graphice depicta conspiciuntur, quibus



simul et historiis tam veteris, quam novi Testamenti, quas adhuc significavimus, nullibi non ornati parietes spectatores rerum amœnitate et copiâ detinent meritissime<sup>(1)</sup>. Præterea intra parietem septentrionalem altare<sup>(2)</sup> visitur, superpositis tabulis pictis, craticulisque ferreis, necnon ligneis clausum postibus, à quodam Alphonso Gundisalvo *de Castellanos*, huius urbis tribuno plebis, sub invocatione Beati Alphonsi anno Domini 1420 erectum, à quo aram ipsam *de los Castellanos* vulgus appellat, instituto sacellano rem ibi divinam quotidie facturo, in cuius stipendium ædes quasdam in hac urbe iuxta viam publicam sandaliorum reliquit. Quæ postea in tumultu quodam civili solo æquatæ fuerunt. Huius autem posterius, sub quorum patrocinio dictum opus constituerat, ne omnino memoria periret, aream ædium auctioni exposuerunt. Unde omnibus diebus veneris in quadragesima Missam unicam celebrare faciunt. Quibus etiam, si quid ibi collapsum fuerit,

(1) Omnes sacræ historiæ, et cetera quæ refert Ortizius, depicta erant, ut hodie, supra recens udum albarium, quod vulgo dicimus *al fresco*; sed decursu temporis deturpatæ, vel deletæ fuerunt, cortice nudata et à pariete avulsa: quam ob causam novæ picturæ suffectæ fuere, ut supra annotavimus pag. 467.

(2) Supra hoc altare posuit Cardinalis Gaspar *de Quiroga*, Archiepiscopus Tolletanus, picturam, alia veteri sublata, manu Ludovici *de Velasco* factam, quæ, si non superat, æquat saltem omnes alias in hac Ecclesia positas. In ea depictæ sunt imagines Virginis Mariæ, et Sanctorum Blasii, Antonii Abbatis, Cosmæ, et Damiani, Agnetis, et Catharinæ; et ad pedes Beatæ Mariæ Virginis provolutus, eam adorat Ferdinandus Infans Aragoniæ, qui expugna-

instaurandi reficiendique cura iniuncta est. Iuxta quam aram in angulo ad occidentalem pæne plagam vergente, ligneum pulpitem parieti affixum conspicitur, ubi quadragesimali tempore præter conciones plurimas, quæ in aliis Templi partibus fiunt, Divorum Dominici, Francisci, et Augustini asseclæ concionantur. Non longo abhinc tractu in pariete occidentali se offert ianua quædam parvula, qua aperitur ingens camera subterranea, sub via publica fabricata, instrumentis lapicidarum fabricorumque lignariorum asservandis, artificibusque ibi (si lubet) nocte excipiendis deputata. Porro in meridionali pariete iuxta posticum, quo in viam publicam itur, supra dictam Vicarii urbis sedem<sup>(3)</sup> iudicalem, necnon infra beneficiatorum effigies, solemne est epitaphium huiusmodi.

*Lunes tres dias de Hebrero año de mil y quinientos y veinte y dos, dia de sant Blas, por los méritos de la sacratissima virgen nuestra señora, el dean y cabil-*

*do* vit Antequeram, et postea fuit proclamatus Rex Aragoniæ: hoc quidem in præmium suæ fidelitatis erga Ioannem Regem infantulum; nam cum Proceres eum ut Regem Castellæ desiderarent in tam minori ætate legitimi heredis infantuli, in comitio habito intra eandem capellam, Ferdinandus respondit: "Absit, ut tale »crimen fidelitati meæ iniiciam: serviam »utique Regi infantulo, et eius nomine »gubernabo; sed sceptrum fidissime illi »servabo.

(3) Hæc sedes sublata est, et iurisdictio huius dignitatis expiravit: verum est quod priscis temporibus ad Vicarium expectabat invigilare, ut festa sacra coleantur, et intra Templum nulla fieret irreverentia; sed hoc munus competit hodie Vicario generali, et Decano Capituli.

do con todo el clero de esta sancta yglesia y caballeros y buenos ciudadanos, con mano armada, juntamente con el arzobispo de Barri, que á la sazón tenia la justicia, vencieron á todos los que con color de comunidad tenían la ciudad tiranizada. Y pluo á dios que ansi se hiciese en recompensa de las muchas injurias que á esta sancta yglesia y á sus ministros avian hecho, y fué esta divina victoria causa de la total pacificación desta ciudad y de todo el reyno, en la qual con mucha lealtad, por manos de los dichos señores, fué servido dios y la virgen nuestra señora y la magestad del emperador don Carlos semper Augusto rey nuestro señor<sup>(1)</sup>.

Insuper ut de editoribus ædificii partibus aliquid dicam, scalæ ingentes ad Septemtrionem, iuxta domini Petri Tenorii Sacellum, sitæ sunt, partim novenis, partim senis, et his brevibus, in quadrangulum erectæ lapideis gradibus, donec ad summum perveniatur; in quarum tractu tres patent cellulæ: una oleo pro omnibus Templi lampadibus, numero triginta, præter eas, quæ in Sacellis allucent; aliæ vero duæ aliis Ecclesiæ ministeriis destinatæ. Iis enim scalis ascendimus ædificia magnifica, tempore domini Francisci Ximenez, Archiepiscopi Toletani, extracta. Ad quæ, quoniam sigillatim enarranda, plus, quam par est, temporis exquireretur; idcirco

(1) Hæc inscriptio sublata est, et in eius locum suffecta pictura S. Eulogii, Præsulis Toletani electi; indecens namque visum fuit discordias communitatum in me-

obiter sat erit dixisse, nostra hac tempestate Præsuli esse hospitio, suisque famulis et familiaribus, necnon clavigero, aliisque Ecclesiæ opificibus: atque ad Occidentem quasdam cochlides scalas habere, quibus in virides hortos, in medio huius claustrum positos, herbis pomisque odoriferis vernantes, secreto descendimus, multis quippe malis citreis, myrtis, lauro, aliisque id genus abundantes. Postremo in huius claustrum angulo, ædi S. Petri contiguo, sunt aulæ, magnifice super primam absidem fabrefactæ, ex cuius absidis fornice proiectum menianum, pulchre elaboratum, in secundam protenditur, quod dominus Franciscus Ximenez Archiepiscopus (ut fertur) struxit, ut ex eo Christianissima Regina Elisabeth, tuæ celsitudinis proavia, rem divinam audire, aliisque divinis mysteriis interesse posset; inde enim præcipuum huius Templi altare adorare datur.

CAP. LXIII.

*De exteriori turris descriptione.*

In extrema Templi parte, quæ Occidentem respicit, duæ surgunt turres, è quibus altera imperfecta remansit; altera vero quadrata, seu mavis, octogona, excelsior et elegantior cernitur, cuius admiranda altitudo nubes transcendere videtur; ad eamque merito silere possunt Ægyptiæ pyramides, Alexandrina Pharus, Rhodiorumque colossus. Turris hæc, ex lapide fusco

Ooo 2 ni bouet moriam revocare, præcipue cum Padilla et eius uxor quamplurimum ad eas fovendas contulerint, satiusque sit infidelitatis notam penitus abolere.



et duriori et elegantiori constructa, universis Hispaniæ templorum turribus (quod publico omnium ore circumfertur) speciosior et sublimior, plana ad primam fasciam, nihil exterius sculptum habet; inde vero usque ad fenestras, ubi cymbala pendent, multis lapideis fasciis circumdatur: multa ibi expolita, atque impense fabrefacta, videre operæ pretium est, maxime secundum limbum (nam quinque præsertim zonis (ut sic dicam) admirandi operis hæc moles præcingitur), ex nigro lapide columellis suo ordine interpositis mirifice elaboratum: in quo paribus inter se spatiis distantia cuiusdam Præsulis insignia ex lapide albo affixa, tessellisque hinc inde circumdata prospiciuntur. At tertius limbus tessellis cæruleis, pari intervallo dispositis, decoratus, pulchram turrim pulchriorem visuque amoeniorrem reddit, quæ sigilla sub parvis fornicibus mire elaboratis in ipso structuræ lapide adiacent. In quarta fascia plurima hominum capita ex lapide albo prominent, quæ parvulis quibusdam pilis distincta, procul intueri videntur. Paulo superius ingentes pro cymbalis fenestræ clathratæ apparent, in quavis fronte binæ, quarum inter utramque humanam statuam cernimus, ex lapide etiam albo fabrefactam; ita ut in singulis tetrantibus singulæ hominum effigies conspiciantur. Supra has fenestras visitur quinta corona, cui innititur ambulacrum turrim quacumque circuens, supra quod in cuiuslibet frontis medio (unica dempta) nova turricula surgit cum pinnaculo Mediolanensi bractea munito, cruce auro deli-

nita desuper imposita; et hic quadrangularis pars secunda finitur. Sequitur inde tertium et ultimum turris opificium, rotundæ formæ, augustius et elegantius, in octo nimirum pilas artificiose assurgens, quibus totidem capreoli iunguntur fortioris muniminis gratia, ubi et quattuor pergrandes pinnæ triangularis formæ turri ipsi, potius elegantia, quam munitioni eriguntur. Inque octo pilarum summo plenam elegantiarum atque artificii coronidem inspicimus. Supra quam tholus fastigiatus, in modum pyramidis absolutus, coelum tangere videtur. Cuius fastigio crux ferrea ingentis magnitudinis superimposita est, quæ cum ex inferiori solo suspicitur, ob turris profunditatem exigua quidem, sed propius cernentibus miræ profecto et ipsa altitudinis censetur.

#### CAP. LXIII.

*De interiori turris descriptione, et cymbalorum nominibus.*

**H**is iam, quæ de exteriori turri dicenda censui, utcumque patefactis, ad interius latentia revertamur. Iis igitur, quæ modo referenda sunt, aditus est, qui in ipso statim turris calce sese offert, ab Ecclesiæ pavimento septem gradibus editior, poste ligneo ferreis munito laminis obturatus: à quo usque ad turris fastigium 284 gradus scala cochlea ascenduntur. Ad 83 gradum ianua parva posita ascensum præpedit. Ad huius ostioli dextram tribus gradibus superius carcer, ligneis foribus ferro celatis clausus, in ipsiusque turris velut thorace positus, quasi inexpugnabi-

bilis locatur. Quattuor fenestræ eximiæ altitudinis (quælibet in suo pariete à pavimento proceri hominis statura sublimior existens) ipsum carcerem illuminant, iuxta quas in parietum crassitudine iudicis ecclesiastici imperio deprehensi lectos sternere consueverunt; quippe turris spatium cum sit 40 pedum (nam cum formam quadratam hæc turris habeat, æqualis ab omni parte metientibus apparet) viginti cavum, et totidem lata parietum crassitudo sibi vendicat. Huic altera cella superstat quindecim gradibus sublimior, quæ à prædictis itidem fenestris illuc usque longis illustratur. In eiusque angulo, Septemtrionem pæne respicienti, cisterna quædam; in orientali vero parte horreum ligneum ad esum potumque custodum pro turris maiori munimine conspiciuntur. Aqua enim frumentumque ad munitionem, quæque ad victum pertinent, non minus quam arma, sunt necessaria. Mox è ianua illa secunda trames angustus Meridiem versus aliquantulum protenditur. Ad cuius sinistram, non longe post ianuam, turri contiguum domicilium est præsidi turris destinatum: domus omnino integra, cœnaculum, cubiculum, coquinam, aulam venustiore hospitandi gratia, aliaque receptacula ad suppellectilia asservanda continens. Adversus huius domicilii aditum, menianum ligneum, ad portæ illius, quam diximus *de la torre*, dextram superimpositum, imminet, ex quo turris præfectus panem, vinum, carnes, aliaque victui necessaria per restim et trochleam accipit. Inde in tramitis ex-

tremo scalæ cochleæ iterum offeruntur, triginta tres utique gradus adimplentes, quæ solida camera exterius pyramidali ex lapide albo, sexque pilis imposita, operiuntur. Ad quarum dextram solaria magna, quo longiora; eo angustiora, super portas Indulgentiæ, et Tabellionum sita, ad Mozarabum Sacelli pinnaculum perducunt.

E regione scalarum invenitur ianua quædam parvula, qua totius Ecclesiæ ædificia convexa, inexplicabilem sane labyrinthum, circumambire datur. Continuo in ipso turris imo ascensus patet, qui ligneis valvis ferro exterius roboratis munitur. Hinc ad decimum quintum gradum carcer alius se offert munitissimus, ac supra illum, de quo paulo ante diximus, existens: ostio ferreo obturatur, ob suumque munimen Camera fortis vulgo nomen ei inditum est. Ad vigesimum octavum gradum adiacet solum, opere fornicato superius opertum, ubi octo magni ponderis cymbala pendent, funibusque perticis axium alligatis hinc inde obvolvuntur. Eorum nomina sunt: primi, ascendentibus ad dextram in pariete orientali se offerentis, Sancta Leocadia. Deinde in septemtrionali pariete duæ sunt campanæ, prima Incarnatio Christi, secunda *Calderona* vulgo nuncupatæ. Mox sequitur occidentalis paries, duas alias continens: prima quidem Divi Alphonsi, altera vero Resurrectionis Domini titulo decorantur. In pariete denique meridionali duo alia cymbala sunt: alterum Sanctus Eugenius, alterum vero Dominica Ascensio appellatur. Inque horum medio cymba-

ba-



balum ingens, cetera longe sua ponderositate præcellens, positum est, cui nomen inditur *Cananea*<sup>(1)</sup>, ligneoque artificio innitens, propter admirandam eius magnitudinem crepitaculo dumtaxat moto pulsatur. Quadraginta insuper ascensis gradibus, erigitur tertia et ultima turris pars, quam rotundæ formæ esse diximus, duo summi ponderis cymbala in medio prorsus existentia continens: alterum, quod nominatur *Santa Maria à nivibus*, altero, cui nomen *Fonseca*, ulna celsius: quæ, ligneo artificio innitentia, ob ingens ipsorum pondus moveri nequeunt; nec, si possent, liceret, ne turris, ipsorum pondere gravata, ruinam minaretur, sed crepitaculo agitato ipsa immobilia personant. Quæ omnia cymbala adeo compositos mira quadam dissimilium sonituum moderatione (veluti ex summis, et mediis, et infimis vocibus) sonores offerunt, ut huic armoniæ omnes cuiusvis alterius templi cymbalorum concentus per totum orbem cedant. Hinc ad octogesimum quintum gradum tholus est, quem in pyramidem fastigiatum esse diximus, qui demum exteriori interiorique turri finem imponens, adeo se cunctis spectabilem præbet, ut turri decori et tegumento sit.

(1) Hoc cymbalum, denominatum *Cananea*, in eius consecratione ruptum est, et in eius locum aliud maioris ponderis fusum; pondo etenim est triginta et septem millia librarum, quæ ad nostram vulgarem mensuram redactæ, efficiunt mille et quingentas *arrobas*: ob cuius magnitudinem non levi periculo ruinæ exposita fuit turris, dum in medio eius locaretur, quod ipse vidi; et nisi à peritis in arte nautica rotis et instrumentis mathematicis levatum è terra fuisset, si-

## CAP. LXV.

*De palatiis Archiepiscopalibus, et aula Conciliorum appellata.*

In circuitu Templi omnes domus Ecclesiæ salaria pendunt, in quibus describendis non visum est tempus consumere. Sed omittenda non sunt Præsulum palatia, amplissima quidem, prisco tamen modo structa, quinque enim impluvia continent, Sacellum insuper egregium intemeratæ Virgini dicatum, cum claustro multis ex politis columellis suffulto. Quæ quidem palatia non mediocrem venerationem merentur, siquidem et in eis sacrosanctæ Synodi celebrari consueverunt, et præterea constructo instar pontis ambulacro Ecclesiæ ipsi iunguntur, ac veluti pars ipsius efficiuntur. In eis etiam tribunal metropolitanum non exigui nominis et auctoritatis, nimirum cum primum in Hispaniis teneat locum, continetur. Hic etiam non silentio prætermittendum opus, quod institutione bonæ memoriæ Ioannis Patriarchæ, Archipræsulis Toletani, triginta pauperum ibi quotidie prandentium exercetur, eorumque mensam canonicus hebdomadarius absoluto Missæ sacrificio benedicere, panem vinumque, an victui com-

mulque turris funiculis circumdata, forte illius fabricæ summa pars funditus corruisset. Propterea in totius turris refectione, meo in tempore facta, maxima cura adhibita fuit, et interius exteriusque ferro circumsepta superior pars, et fornices reparatæ; attamen omnes mirantur hanc fabricam substitisse, tam in fulminis percussione, quæ evenit initio huius sæculi, quam campanæ tantæ molis elevatione.

moda sint, aspicere tenetur. Insignitur præterea domus hæc Archiepiscopalis illustri quadam et spatiosa aula, mira venustate fabricata, ubi dictæ sacrosanctæ Synodi peraguntur, ac forsitan Toletana etiam Concilia celebrata sunt, ut vulgaris civium sermo, ad nostram usque ætatem conservatus, innuit, ac titulus deinde ipsius aulae, iuxta laquearia parietibus circumscriptus, indicare videtur; nec enim temere maiores nostros titulum ibi adponendum curasse, credere fas est, qui ex 5. quæst. 4. desumptus, ita se habet. *In loco benedictionis con-sedentes domini sacerdotes nullis debent aut indiscretis vocibus perstreperere, aut quibuslibet tumultibus perturbare, nullis etiam vanis fabulis, vel risibus agi, et quod est deterius, obstinatis disceptationibus tumultuosas voces effundere. Si quis enim (ut Apostolus ait) putat se esse religiosum, non refrenans linguam, sed seducens cor suum, huius vana est religio.* Illud vero, quod in aliquibus Conciliis sic scriptum reperies: *In Ecclesia Sanctæ Mariæ semper Virginis: aut in Ecclesia Sanctæ Leocadiæ, sive in Ecclesia Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli:* ita poterit intelligi, quasi in illis sacris ædibus eorum Conciliorum materiæ propositæ fuerint, tractatæ vero forsitan in hac aula, quam de Conciliis nuncupant. Habebatur etiam in eadem aula singulis annis in die Cœnæ Dominicæ latina concio, pariter et

(1) Hæc notitia Conciliorum correctior superius apposita fuit: in supputatione enim Ortizii nec ordo chronologicus, nec Præsides Conciliorum referuntur secun-

manuum ablutio beneficiariorum per Præsulem, sive, eo absente, per duos ex senioribus Ecclesiæ, quæ tamen ab hinc vigesimo sexto anno ad capitulum, ubi hoc tempore canonici congregantur, translata sunt.

## CAP. LXVI.

*De Conciliis Toletanis.*

**E**t quoniam Toletana Concilia aliis quibuslibet celebriora existimantur (ut ex volumine decretorum elicitur, in quo centum decem capitula enucleata ex illis apparent), dignum duxi ea suo ordine cum Rege, sub quo fuerint celebrata, enumerare<sup>(1)</sup>. Sunt igitur secundum dominum Rodericum Archiepiscopum, et Didacum *de Valera*, in Hispaniarum historiis septemdecim, tametsi in Conciliorum tomis tredecim tantum collecta videamus.

Primum Concilium Toletanum, XIX. Episcoporum, habitum est circa tempora Anastasii Papæ, Honorio et Arcadio Romanum imperium tenentibus, septimo idus Septembris, Stilicone Consule. Qui anno Domini CCCCXX, alias etiam anno CCCCII, consulatum gessisse traditur à Chronographis. Præsedit huic Concilio Patronus, Toletanæ Ecclesiæ Metropolitanus Episcopus.

Secundum Concilium Toletanum celebratum est circa tempora Ioannis Papæ II, anno quinto Amalarici Regis, sub Montano Archiepiscopo Toletano.

**T**ertium receptiorem sententiam nostrorum historicorum, nec iuxta codices MSS. Æmilianensem, et Toletanos; idcirco in his non immoramur.



Tertium Concilium, LXII Episcoporum, tempore Pelagii Papæ, anno quarto Reccaredi Regis, ubi Ariana hæresis damnata est in Hispania, et Gothi ad Catholicam fidem conversi. Huic Concilio præsedisse Helladium, Toletanum Archiepiscopum, refert Rodericus Toletanus, lib. 2 cap. 15 suæ historiæ. Verum eius subscriptio in actis Concilii non reperitur, sed Euphemii, Toletanæ Ecclesiæ Metropolitanæ Episcopi provinciæ Carpetaniæ, quem tamen Euphemium Rodericus Tarraconensem Episcopum facit, qui eidem Concilio etiam interfuerit.

Quartum tempore Honorii Papæ primi, LXVIII Episcoporum, anno tertio Sisenandi Regis, in Ecclesia S. Leocadiæ virginis et martyris, sub Iusto Archiepiscopo Toletano. Huic Concilio subscripsit S. Isidorus.

Quintum tempore eiusdem Honorii, XX Episcoporum, anno primo Chintillani Regis, qui alias Cintila dicitur, in eadem Basilica Leocadiæ, sub Eugenio urbis regiæ Primate.

Sextum, XXXVII Episcoporum, tempore eiusdem Honorii Papæ, sexto idus Ianuarii, anno secundo eiusdem Chintillani, seu Cintilæ Regis, in prætorio Toletano in Ecclesia S. Leocadiæ, sub Eugenio Primate.

Septimum, XXXVIII Episcoporum, alias XL, circa tempora Theodori Papæ, vel Martini primi, anno quinto, alias sexto, Cindasvindi Regis, sub Eugenio Archiepiscopo Toletano.

Octavum, LII Episcoporum, alias LIX, circa tempora Martini

Papæ primi, anno quarto Recisundi Regis, in Basilica prætorien- si Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, sub Eugenio Primate.

Nonum, XVI Episcoporum, circa tempora eiusdem Martini, anno septimo eiusdem Recisundi Regis, in Basilica Sanctæ Mariæ semper Virginis, sub Eugenio Primate.

Decimum, XVII Episcoporum, alias XXV, circa tempora eiusdem Martini Papæ, anno octavo eiusdem Recisundi, sub Eugenio Archiepiscopo Toletano. Notandum vero, duos hoc tempore Eugenio Ecclesiæ Toletanæ Archiepiscopos fuisse, alterum alterius immediatum successorem. Ita sex Concilia prædicta, quæ sub Eugenio habita dicuntur, non sub eodem, sed sub duobus habita sunt.

Undecimum, Episcoporum XVI, circa tempora Vitalliani Papæ, anno quarto Vambani Regis, in Beatæ Matris Domini Mariæ Virginis sede, sub Quirico Archiepiscopo, immediato Sancti Alphonsi successore.

Duodecimum, Episcoporum XXXV, tempore Agathonis Papæ, vel Leonis Papæ II, anno primo Ervigii Regis, in Basilica Sanctorum Apostolorum, sub Sancto Iuliano urbis regiæ Primate, qui corrupte subscribitur Iulius.

Tredecimum, XLVIII Episcoporum, circa eadem tempora, anno quarto eiusdem Ervigii Regis, in Basilica Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, sub eodem Iuliano Archiepiscopo. Atque hæc sunt tredecim Concilia Toletana, quæ in vulgatis Conciliorum codicibus continentur. Præter quæ traduntur

à Roderico Toletano et aliis quatuor alia Concilia , videlicet :

Quartum decimum Concilium, XVI Episcoporum , habitum anno quinto eiusdem Ervigii Regis , sub eodem Iuliano Primate.

Quintum decimum , LXI Episcoporum , anno primo Egicæ Regis , in Ecclesia Prætorienti Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli , sub eodem Iuliano.

Decimum sextum Concilium anno sexto eiusdem Egicæ Regis , sub Felice Urbis regis Primate.

Decimum septimum Concilium celebratum fuit anno septimo eiusdem Egicæ Regis in Ecclesia Sanctæ Leocadiæ , ubi sanctum eius corpus quiescebat , in suburbio Toletano , sub eodem Felice Primate.

Hæc sunt XVII Toletana Concilia , quibus referendis minime visum est annum nativitatis Christi , seu Æræ Cæsaris , in quo fuit unumquodque illorum celebratum , adscribere ob codicum varietatem , quam vitio scriptorum , qui in numerorum designatione facile labuntur , accidisse constat. Unde in posteriore editione libri Conciliorum annorum huiusmodi annotatio , quæ

in priore editione habebatur , sublata est.

Utinam , Serenissime Princeps, Concilia conventusque ecclesiastici more antiquo (uti canones disponunt 18 dist.) frequentarentur. Vigilantibus enim Prælati non tot hæreses hinc inde pullularent. Nam si Arius eiusque sectatores confestim oppressi essent , nequaquam eorum virus magnam orbis partem infecisset. Idemque de Lutheranis dici potuit , quorum hæresis paulatim adeo irreperat , ut iam non publicis modo disceptationibus , sed armis etiam incredibili obstinatione defenderetur. Multa præterea commoda provenirent , morum cohiberetur dissolutio , vitia non tam late paterent , immodica rerum cupiditas intra proprios fines reprimeretur. Annuente tamen divina benignitate , speramus , ut Patrum Tridentini congregatorum sollertia tantis morbis debita medela salubriter adhibeatur. Præcipue cum genitor tuæ celsitudinis Imperator noster felicissimus summa religione animum indefessum in hoc dirigat. Cui re vera non incongrue hæc possunt adaptari carmina.

*Cum fidem Christi premerent procellæ,*

*Et Petri navis quateretur undis,*

*Cura Caroli retinet cadentem*

*Religionem.*

CAP. LXVII.

*De officialibus tam Capituli, quam fabricæ huius almæ Ecclesiæ.*

Sed quoniam ad optatum finem huius nostri laboris , Serenissime Princeps , iam ventum est , visum

fuit etiam nomina officialium , et officiorum , tam Capituli , quam fabricæ , quæ magnificentiam , amplitudinem , et liberalitatem , iuxta et opulentiam huius sancti Templi nobis demonstrant , et manifestant , ad calcem huius operis ponere.

Ppp

Est



Est tamen advertendum, quod officiales Capituli et fabricæ, si multi sunt, etsi diversis nominibus nuncupentur, eo tamen sunt ordine compositi, ut soluta oratione uniuscuiusque nomen facile et officium intelligatur. Inter hos autem locum primum obtinent duo Visitatores beneficiariorum Ecclesiæ<sup>(1)</sup>, propterea quod ad mores componendos sunt deputati, vel ex eo quod morborum animæ præcipue curam habent. Sunt et alii duo, quibus visitandi sacrum ærarium quolibet anno onus incumbit. Duo etiam Iconomi unoquoque anno deputantur. Ædiles item duo. Quattuor qui rationibus præsumunt. Duo Visitatores puerorum, ad servitium chori et Ecclesiæ deputatorum, qui vulgo *Clerizones* dicuntur. Duo Visitatores possessionum Ecclesiæ: et duo hospitalis Sanctæ Crucis, per prædictum Cardinalem Petrum Gundisalvum Mendozium fundati. Duo etiam Collegii S. Catharinæ, per dominum Franciscum Alvarez à Toletis, huius Ecclesiæ Scholasticum et canonicum, fundati, de quo meminimus superius cap. de choro beneficiariorum; duo vero hospitalis, *del Nuncio* vulgariter dicti, in quorum mente capti, numero 33, una cum tredecim senibus, qui aliquando extra inopiam vixerint, et ad ultimum ab eadem compressi sint, omnia ad vitæ alimenta necessaria percipiunt. Hoc instituit dominus Franciscus Ortiz, Nuncius Apostolicus, et canonicus Toletanus. Item

(1) Visitatio, ut actus iurisdictionis, in S. Ecclesia Toletana ad solum Præsulem spectat: ad correctionem vero privatam deputari possunt Visitatores, de quibus agit

alii duo Visitatores hospitalis Misericordiæ huius civitatis. Sunt et alii duo ad visitationem capellæ Epiphaniæ, quæ in Ecclesia parochiali S. Andreæ huius civitatis sita est. Et unus alius nominatur pro visitatione Ecclesiæ Sacramenti oppidi *de Torrjos*. Est et distributor eleemosynæ panis, quæ quotidie in claustro Ecclesiæ pauperibus erogatur. Alius etiam præest Missis in altari Sanctæ Mariæ *del Antigua* dicendis. Et duo Visitatores sunt, qui ab ipso Missarum rationem exposcunt. Unus Administrator capellæ Divi Blasii: alius capellæ S. Petri: alius capellæ Mozarabum: alius capellæ Ioannis *de Salcedo*: alius etiam deputatur pro administratione capelliarum, per dominum Petrum Gundisalvum *de Mendoza*, Cardinalem, et Archiepiscopum Toletanum, in eadem Ecclesia institutarum. Duo Administratores eleemosynæ dominæ Theresæ *de Haro*, quæ in Sacello eiusdem maritandis orbis virginibus quotannis distribuitur. Duo item eleemosynæ eiusdem dominæ Theresæ, quæ ingenuis et honestis pauperibus erogatur. Duo etiam Administratores eleemosynæ Ioannis Lupi *de Leon*, canonici Toletani, quæ in Sacello eiusdem dotandis pupillis virginibus dispensatur. Duo item eleemosynæ eiusdem Ioannis Lupi *de Leon* ad comparandas vestes, inter pauperes viros in eadem capella distribuendas.

Præter ministros superius memor-

Ortizius; ex cuius tempore nova decreta emanarunt, tam Apostolica, quam Regia; et exercitium Visitorum oppidi *de Torrjos*, et aliorum, in desuetudinem abiit.

moratos eliguntur quotannis bini ex senioribus canonicis, eleemosynæ illius Administratores, quæ ex institutione Illustrissimi Alphonsi Fonseca, Archiepiscopi Toletani, bonæ memoriæ, maritandis orbis virginibus deputata est. Donavit hic Pontifex, dum viveret, Ecclesiæ suæ Capitulo annua millia morapetitorum nostrorum quadringenta, id est, ducatos aureos circiter mille sexaginta septem, in virginum honestarum, paterna potissimum ope destitutarum, dotes, annis singulis erogandos. Quo beneficio incredibile dictu est, quantum succurratur popularium virguncularum pudicitia, ne egestate atque inopia cogantur femineum pudorem turpiter prostituere. Nec hac solum parte pietatis opera hic Præsul exercuit. Nam et collegium scholarium amplissimum Iacobi Zebedæi titulo, adiuncto Sacello frequentibus sacellanis celebri, ubi corpus ipsius conditum est, magnificentum ædificio, tum censu, Salamanticæ instituit. Eiusque urbis (quod fuit illi natale solum) municipes omnes liberos ex æquo, atque immunes constituit, comparatis donatisque publice proventibus annuis, unde tributa regia perpetuo pendantur. Apud Compostellam præterea (cuius Ecclesiæ Metropolitanæ pontificatum aliquot annos gesserat) collegium aliud litterarium, privilegio etiam studii generalis, variarumque disciplinarum professione insigne, à fundamentis exstructum, amplis proventibus locupletavit, quo na-

tionem illam incultam magna ex parte, atque horridam, ad humanitatis, ac litteraturæ cultum invitaret. Palatium Archiepiscopale Complutense, iniuria vetustatis deforme iam et lapsabundum, insumptis circiter quadragies mille aureis ducatis, non restituit modo, sed in augustiorem amplioremque formam revocavit. Arcem oppidi S. Torquati<sup>(1)</sup>, facinorosorum clericorum horrendo carcere notam, incendio absumptam, in melius refecit. In Ecclesia vero ipsa Toletana frequentes priscorum ædificiorum deformitates corrigendi, inque his regiam capellam novorum Regum ad locum, ubi nunc est, transferendi auctor fuit. Idem etiam tres illas maximas (quæ Occidentem respiciunt) Ecclesiæ portas, quibus olim per plures gradus in ipsam Ecclesiam velut in cryptam quamdam tenebricosam descendebatur, effosso toto vestibulo, atque ipsa etiam via publica longo tractu depressa, atque complanata, in eam, quæ nunc cernitur, formam componendas curavit. Hic denique est ille Pontifex, qui Serenissimam Isabellam, Augustam celsitudinis tuæ matrem, ex Portugallia ad incliti Cæsaris parentis tui nuptias venientem, incredibili pompa, atque apparatu deduxit. Teque postea recens genitum lustralibus aquis in Christo regeneravit, puerilique ætati tuæ nullo loco defuit, quominus illam omnium obsequiorum genere prosequeretur. Quod sane unum satis esse poterat, ut illius memo-

ppp 2 riam

(1) Arx S. Torquati hodie non incarcerationis clericis, sed Administris iusti-

tia habitationi deservit.



riam hac digressiuncula utcumque celebrandam curaremus. Nunc vero ad institutum nostrum sermonem convertamus. Est ergo magister cæremoniarum : magister musicæ. Subsequuntur deinde octo cantores , qui præter singulas portiones , quas in Ecclesia obtinent (quæ auctoritate apostolica sunt eisdem deputatæ) , salaria singulis annis percipiunt. Sunt et alii cantores numero in præsentia duodecim , qui etsi non portiones , stipendia tamen unusquisque pro meritis percipit. Sunt etiam duo succentores , et alius , qui in eorum absentia ipsorum vices gerit : unus qui cantoribus libros apponit. Sunt et tibicines octo , et unus organorum pulsator : alius eiusdem locum tenens. Isti ministrum habent , qui organis pulsandis aerem foliibus subministrat. Quattuor lectores , qui lectiones ad matutinas , et ad pretiosa , et completorium , dum divina in choro cantantur , legunt : antiphonas , lectiones , et responsoria , quæ per beneficiarios cantanda sunt , commendant : incensaria , et aquam benedictam deferunt , et aliorum omnium curam habent , quæ ad officium ordinis lectorum spectant. Est præterea fabricæ Præfectus , et duo Visitatores fabricæ : Theologiæ professor : magister grammaticæ. Sunt et tres clavigeri interioris sacrarii , quibus trium clavium eiusdem interioris aditus cura est : ex quibus una penes Archiepiscopum , vel canonicum eius vicem gerentem , altera penes Capitulum , et pro eo unum aliquem ex canonicis asservatur : tertia ad Thesaurarium pertinet una cum reliquis sacrarii

ipsius clavibus. Duo etiam clavigeri archivorum , videlicet , Thesaurarius , et unus canonicus à Capitulo assignatus : ubi instrumenta scripturæ , et privilegia sub magna custodia tenentur. Tres æditui sacri ærarii. Est et secretarius , cui incumbit litteras Capituli scribere , et acta capitularia singulis diebus , quibus ad capitulum convenitur , in libro ad hoc deputato seorsum ponere , rationesque omnes Ecclesiæ maxima cum diligentia conficere , et ad visitationes capellarum (capellis tamen Regum exceptis) una cum Visitatoribus interesse , et quæ distributa per repartitorem sunt , in libro refectorarii scribere , ut unicuique , tam Dignitatum , canonicorum , portionariorum , quam etiam sacellanorum chori , et aliorum dictæ Ecclesiæ capellanorum , officialium , et puerorum per refectorarium sua portio , prout distributa , et à secretario scripta apparebit , persolvatur : librum reddituum vestiariorum etiam habet , in quo rationes eorumdem continentur , et inter eosdem canonicos quolibet anno distribuit ; illis tamen exceptis , qui nondum suam annalem residentiam integre fecerunt : seu aliam quam per 90 dies canonici in Dignitate non constituti , et per 60 canonici in Dignitate constituti , unoquoque anno facere tenentur : redditibus vestiariorum sic per eum divisus , in libro peculiari scribit , et eum receptori tradit , ut unicuique sua pars distributa persolvatur. Receptor est etiam reddituum vestiariorum , hoc est decimæ partis omnium decimarum frumenti et vini , quæ ad canonicos

cos solum pertinet, et inter eosdem, facta tamen residentia, distribuitur. Unus distributor, aut divisor, ad cuius officium spectat rationem cum omnibus chori beneficiatis habere, et unicuique illorum partem, prout residentiam fecerit, distribuere. Est et refectorarius, qui curam habet omnes redditus mensæ capitularis, seu refectorii dictæ Ecclesiæ, à redemptoribus recipiendi, et beneficiatis Ecclesiæ persolvendi: hic quattuor habet qui vulgariter *escuderos del refitor* nuncupantur, qui eidem deserviunt in his, quæ ad officium suum spectant. Frumentator est etiam, qui et granarius; habet enim curam unicuique beneficiariorum Ecclesiæ portionem bladii et salis à secretario distributam integre persolvendi. Unus puerorum institutor, qui *claustrero* vulgo dicitur. Magister etiam operum, et ædificiorum Ecclesiæ. Unus exactor reddituum fabricæ, qui omnium officialium stipendia, ceteraque ad fabricam spectantia persolvit. Notarius etiam, qui reddituum rationes habet, instrumentaque omnia, et scripturas ad fabricam pertinentes conficit. Est et ædificiorum fa-

bricæ sollicitator, quem vulgo *clauvero* nominamus. Deservit etiam sceptriferarius, et unus cursor, qui et sceptriferarii locum tenet. Et unus sollicitator, cui incumbit omnia negotia, et lites Ecclesiæ magna diligentia curare. Præses turris, cui cura incumbit pulsandi campanas: argentarius: vestium sacrarum laborator: unus qui organa fabrefacit: ceræ artifex: accensor ceræ: custos olei et ceræ: Bibliothecæ custos: moderator horologii. Sunt præterea quattuor Ecclesiæ custodes: unus alius, qui die ac nocte curam gerit portarum eiusdem, claudendo et aperiendo: sacri ærarii fullo: est et lampadum accensor: pictor: deaurator: canum fugator. Quidam alius, qui Ecclesiæ mundandæ scopis curam habet: minister cloacarum: magister fenestrarum specularium: magister clathrorum: ac ferri artifex. Hi omnes stipendia diversa unoquoque anno ab Ecclesia percipiunt, et Ecclesiæ unusquisque sua sorte, qua vocatus est, inservit. Qui, etsi numero multi; pauci tamen, si ad maiestatem Templi, atque opulentiam conferantur.

*Sexcentos credas Ecclesia nostra ministros  
Continet, hi qui sint, si vacat, accipito.*

*Antistiti, qui totius  
Hispaniæ primas tenet,  
Primam in choro sedem damus.  
Huic assident quatuordecim,  
Quos dignitates dicimus.  
Hos insequuntur canonici  
Totidem, quot olim consecrat  
Ieiunio Christus dies.  
Habent sodales hi suos,*

*Queis portio nomen dedit:  
Hi quinque complent decades.  
His addimus canonicos  
Viginti, eos communiter  
Extravagantes nuncupant.  
Post hos capellani locum  
Octo atque quadraginta habent.  
Hos adiuvant sacrifici  
Septem atque triginta, sacris*

*Qui*



*Qui nocte adesse debeant.*  
*Sequuntur hos sacrificuli,*  
*Canonicis numero pares:*  
*Ex his tamen solummodo*  
*Eligimus sex musicæ,*  
*Qui nomen à numero tenent.*  
*Sunt et capellani, suis*  
*Qui præsentant ædiculis:*  
*Hi cum sacristis omnibus*  
*Centum nonaginta quattuor.*  
*Et quattuor lectoribus*  
*Adiunge cantores sacros:*  
*Incertus horum numerus est,*  
*Duodecim in præsentia.*  
*Capitulum atque fabrica*  
*Operarios, stipendia*  
*Qui pro laboribus ferunt,*  
*Centum atque quadraginta.*

## INDEX

*Parochiarum, ædium sacrarum,*  
*cænobiorum, xenodochiorum, et*  
*confraternitatum pientissimæ*  
*urbis Toletanæ.<sup>(1)</sup>*

**H**æc habui, Princeps Augustissime, de quibus te sedulo admonerem, circa Templi Toletani cognitionem. Quæ tametsi rudi et incompto stilo à me nunc prodita et evulgata sint (nempe ut par erat ab homine publicis negotiis districto, neque in Rhetorum flosculis admodum exercitato); occasionem tamen et ansam exhibui hæc ipsa latius et copiosius explicandi, quibus et otium felicius, et facultas dicendi paratior contigerit. Nam et Græcorum et Romanorum historiæ, quæ tam ob verborum, quam ob rerum splendorem, maiori in pretio et aucto-

(1) Hæc quæ ab hinc refert Ortizius de Parochiis, et ceteris quæ sequuntur usque ad finem huius operis, decursu temporis, præcipue vero postquam Re-

ritate quam ullæ aliæ sunt, nunquam in tantam dignitatem excrevissent, nisi diariis, commentariis, regeis, ceterisque curiosorum hominum libellis auctæ pariter et absolutæ essent. Quod si apud nostros eadem cura et diligentia fuisset, multa fortasse, quæ nunc oblivione sepulta delitescunt, lucem nacta, sese ostenderent nihilo illis vetustis inferiora, quorum tam celebris memoria est. Sed nimirum inter maiores nostros optimus quisque (quod Sallustius ait) facere, quam dicere malebat. Hoc quod à me in Templi Toletani descriptione factum est, Pausanias, Græcus auctor, in omnibus Græciæ angulis recensendis elegantissime et copiosissime fecit; tanta tamen anxietate et cura, ut non defuerint ex doctis nonnulli, quibus ille nimis diligens rerum minutarum æstimator visus sit. A qua ego reprehensione alienus fortasse videri possim, cum in hoc sacro Templo nihil tam minutum, aut tenue haberi debeat, quin illius mentio iucunda, atque adeo pia piis hominibus contingat. Ac proinde priusquam manum de tabula tollamus (postquam Templi religiosissimi à nobis pro virili mentio facta est), reliquarum sacrarum ædium, cænobiorum, xenodochiorum, et confraternitatum, quibus urbs Toletana abundat, indicem tantum facere decrevimus, ut hinc possit quivis cognoscere, qua devotione divina mysteria et caritatis opera in ea celebrentur.

*In-*

ges nostri Aulam suam alibi collocarunt, variationes quasdam subiere; quarum annotatione non expedit immorari.

*Index sacrarum ædium,  
quas parochias vocant.*

Ædes titulo Divi Petri in Ecclesia Metropolitana.

Ædes titulo S. Michaelis.

Titulo S. Iusti.

Titulo S. Romani.

Titulo S. Leocadiæ.

Titulo S. Laurentii.

Titulo S. Andree.

Titulo S. Cypriani.

Titulo S. Christophori.

Titulo S. Thomæ.

Titulo S. Salvatoris.

Titulo S. Antonini.

Titulo SS. Bartholomæi et Zoyli.

Titulo S. Ioannis Baptistæ.

Titulo S. Genesii.

Titulo S. Vincentii.

Titulo S. Nicolai.

Titulo S. Mariæ Magdalenæ.

Titulo S. Martini.

In suburbio, titulo S. Iacobi.

Ibidem altera titulo S. Isidori.

Habentur præter has sex aliæ, quas Mozarabum dicunt, de quibus cap. de capella Mozarabum copiose dictum est.

Titulo S. Marci.

Titulo S. Sebastiani.

Titulo S. Torquati.

Titulo S. Lucæ.

Titulo S. Iustæ.

Titulo S. Eulaliæ.

*Cænobia monachorum.*

Cænobium titulo S. Ioannis ante portam latinam, ubi sodalitium, Divo Francisco sacrum, vitam in communi degit. Opus Regum, cognomento Catholicorum, vere regiam maiestatem præ se ferens.

Titulo S. Petri martyris, ubi sodalitium Prædicatorum habitat.

Titulo S. Augustini, ubi eiusdem ordinis religiosi sunt.

Titulo Sanctissimæ Virginis, quod Carmelitæ obtinent.

Titulo S. Catharinæ eius ordinis, quem dicunt S. Mariæ de Mercede.

Titulo SS. Trinitatis, ubi eiusdem ordinis religiosi.

*Extra muros.*

Cænobium titulo Sanctissimæ Virginis Sisliensis ordinis Divi Hieronymi.

Titulo S. Bernardi ordinis Cisterciensis, cognomento Montis Sion.

Titulo S. Bartholomæi, quod Minimorum appellationem tenet.

*Cænobia monacharum.*

Titulo Sanctæ Fidei, quod religiosæ mulieres incolunt, eodem insigni ornatæ, et eisdem legibus viventes, quibus religiosi ordinis militaris S. Iacobi de Spatha: ense rubeo insignitæ, quem in pectore conspicuum gestant.

Titulo S. Dominici ordinis eiusdem Sancti, cognomento Regium.

Titulo Matris Dei, eiusdem Divi Dominici institutis adstrictum.

Titulo S. Claræ ex Divi Francisci instituto.

Titulo S. Isabellæ eiusdem ordinis.

Titulo S. Ioannis de Pœnitentia earundem.

Titulo Conceptionis Virginæ earundem.

Titulo S. Antonii Pataviensis earundem.

Titulo S. Michaelis, cognomento

ab



- ab Angelis , earumdem.  
 Titulo S. Annæ earumdem.  
 Titulo S. Ursulæ ordinis Divi Augustini.  
 Titulo S. Pauli ordinem S. Hieronymi professæ.  
 Titulo S. Clementis ordinis Cisterciensium.  
 Titulo S. Dominici eiusdem ordinis , cognomento Antiquum.

*Cænobia beatarum.*

- Sunt præter ea alia etiam muliebria sodalitia , quæ tametsi omnem pietatem , religionem , et sanctioniam exhibent , non ita tamen severis legibus perinde ac monachæ addictæ sunt. Beatæ nomine peculiari nuncupantur : earum cænobia sunt , quæ sequuntur.  
 Cœnobium titulo S. Torquati , cuius religiosæ Augustinianum dogma sequuntur.  
 Titulo Sanctissimæ Virginis , quod Hieronymianum est , et à Vita paupere cognomen habet.  
 Titulo eiusdem Sanctissimæ Virginis , cognomen à Misericordia est , etiam si vulgo non perinde notum , passim enim Gaietani dicitur.  
 Titulo Visitationis , et hoc quoque Hieronymianum , sed magis Reginæ cognomento vulgo innotescit.  
 Titulo Spiritus Sancti , ex instituto Divi Dominici vivens.  
 Titulo Iesu et Mariæ Matris , ordinis Minimorum : id habetur in urbis suburbio.  
 Titulo S. Petri , cuius etiam ordo ibi servatur.

*Sacella quæ præterea in urbe habentur.*

Hactenus de parochiis et cœnobiis utriusque sexus. Nunc de aliis ædibus agamus , quæ neque parochiarum iure , nec monachorum sodalitiis censentur , sed veluti Sacella quædam religiosa omni cultu et pietate venerantur.

- Titulo Matris Dei , in pontificali palatio.  
 Titulo Sanctæ Leocadiæ , in urbis arce , ubi in vinculis hæc ipsa Diva asservata dicitur.  
 Titulo S. Ioannis Equestris , quod religiosis eiusdem militiæ equitibus obnoxium est.  
 Titulo S. Benedicti , quod religiosa militia Calatravensium obtinet.  
 Titulo S. Mariæ , cognomento *Blanca* , olim Iudæorum Synagoga.  
 Titulo S. Mariæ , cognomento ab *Stella* , in suburbio.  
 Titulo S. Leonardi.  
 Titulo S. Crucis ad Divum Nicolaum.  
 Titulo S. Crucis in cæmeterio parochiæ S. Michaelis.

Sunt his annumeranda et Sacellum , quod Ligurum conventus iuxta Divi Augustini monasterium habet , ad eam portam , qua ingressus ad cœnobium est ; et quod in foro huius urbis præcipuo , titulo Sanguinis Christi , in edito loco constitutum cernitur , ubi singulis diebus res divina summo mane peragitur , ut possint universi , qui forensibus negotiis dstringuntur , ea ipsa tractantes , citra ullum occasionum dispendium , quod fortasse ex diverticulis ad templa contigisset , Eucharistiæ Sacramentum adorare.

*Ædes*

*Ædes sacra, quæ extra urbem sunt velut eremiticæ.*

Titulo S. Leocadiæ collegialis : obtinet Abbatem et dignitates.

Titulo S. Ildephonsi.

Titulo S. Susannæ.

Titulo S. Petri.

Titulo S. Lazari.

Titulo S. Eugenii.

Titulo S. Antonii.

Titulo S. Luciæ in regiis hortis.

Titulo S. Michaelis ad cauponam cucurbitariam.

Titulo S. Mariæ Nivalis.

Titulo S. Annæ.

Titulo S. Hieronymi ad septum rubrum.

Titulo S. Petri et Felicis trans amnem.

Titulo S. Magdalenæ Azuquei- quensis.

Titulo Sanctissimæ Virginis Cui- bilitanæ.

*Index xenodochiorum.*

Indicant hæc omnia, quæ superius dicta sunt, urbis Toletanæ ad divinum cultum propensionem; sed quæ nunc dicentur, animum misericordem et caritate plenum declarabunt: nihil enim prætermis- sum esse intelliges eorum, quæ ad pauperes sublevandos pertinent, sive fratres quoquo modo iuvan- dos. Siquidem xenodochiis, hoc est locis, ubi peregrini recipiuntur: nosocomiis, ubi ægroti curantur: ptochotrophiis, ubi pauperes alun- tur, brephotrophiis, ubi infantes: orphanotrophiis, ubi pupilli: cato- chotrophiis, ubi insanis et mente captis: gerontocomiis, ubi seni- bus providetur, urbs hæc nostra passim referta est. De quibus omni-

bus cum affatim in l. illud de sacros. Eccl. C. mentio habeatur; adhuc aliquid illic desideratur, quod tibi civitas hæc nostra pientissima offeret. Nam Toletanis Præsulibus de pietatis officiis in urbe sua certa- tim contendentibus, nunc demum Ioannis Taveræ, Archiepiscopi To- letani, et Sanctæ Romanæ Eccle- siæ Cardinalis, pietate et sumptu moles quædam operosissima sur- git, ubi non solum ægroti, de qui- bus dictum est, sed ii etiam susci- piendi dicuntur, qui ex morbo diutino labefactati, in pristinas vi- res nondum redierunt. Accidebat enim sæpenumero, ut qui in aliis nosocomiis curati fuerant, cum, novis subinde ægrotis succedenti- bus, haud satis firmi, nec refecti discederent, ad mali succi dietam revertentes, in gravio- rem morbum inciderent. Qua de causa vir prudentissimus, in hac parte pau- peribus prospiciens, extra urbis muros locum delegit, in quo hu- iusmodi ægroti foveantur: ubi ea structura et maiestate opus pro- cedit, ut cum quibusvis regiis ope- ribus absolutum merito contendat. Sed iam nos ad institutum perga- mus, et sigillatim xenodochia nu- meremus.

Nosocomium titulo S. Crucis, Pe- tri Gundisalvi de Mendoza, Car- dinalis et Archiepiscopi Toleta- ni, opus.

Titulo Virgineæ Descensionis, co- gnomento Regium, ad Eccle- siam Metropolitanam.

Titulo Visitationis, cognomento Nuncii, ad S. Ioannem Bapti- stam: hic mente captis, et se- nibus, quos inopia et ætas pre- mit, providetur.

Qqq

Ti-



Titulo S. Iacobi militiae equestris.  
Titulo S. Petri, ad Ecclesiam Metropolitanam.

Titulo S. Illelonsi ad S. Leocadiam.

Titulo Matris Dei ad S. Leocadiam.

Titulo S. Michaelis ad S. Michaellem.

Titulo S. Leocadiae ad S. Michaellem.

Titulo S. Sebastiani ad S. Michaellem.

Titulo S. Antonii ad S. Michaellem.

Titulo S. Mariae, vulgo Candalariae, ad S. Michaellem.

Titulo S. Iusti ad S. Iustum.

Titulo Iesus ad S. Nicolaum.

Titulo S. Annae ad S. Romanum.

Titulo Amoris Dei ad S. Cyprianum.

Titulo S. Andreae à tergo coenobii Divi Francisci.

Titulo S. Iacobi ad S. Iacobum in suburbio.

Titulo ab Stella ad S. Iacobum in suburbio.

Aliud sine titulo, quod prostitutarum mulierum est, quae vitam illam obscenam abnegantes, sobriam et puram eligunt.

Collegium puerorum.

Titulo Amoris Dei ad S. Sebastianum: novitium hoc opus, et caritate plenum. Nam quorundam Presbiterorum industria, et infirmi in eo diligentissime curantur, et puellulae orphanæ, alias iuventæ dispendium subituræ, sub probæ mulieris custodia asservantur: præceptis christianis instituuntur: lanificio, et ceteris muliebribus officiis exercentur; indeque in divitum familias adsciscuntur, simul atque ad famulitium idoneæ sunt. Res quidem præclara, et insignis, omni

laude et favore prosequenda, quandoquidem infirmo sexui adeo insigniter consultum est. Debetur id potissimum duobus collegii Sanctæ Catharinæ capellanis, qui id sedulo præ ceteris curarunt.

Est aliud itidem sine titulo, non ita pridem habitari cœptum. Cuius erectionem et curam sibi homo quidam iniunxit, de quo, non opinor, ingratum erit in hoc loco non nihil recensere. Vivit Granatæ, vir christiana simplicitate, ac paupertate: nomen est illi Ioannes, cognomen Dei: humili loco natus: nullis litteris, neque doctrina instructus; incredibili tamen studio christianæ caritatis cultor, totus pauperibus sublevandis occupatus. Plus sunt quam ducenti homines, quos ille, omni præsidio destitutos, variisque languoribus afflictos, reficiendos et recreandos curat. Habitus illi qualis Cynicorum est: vili tribonio indutus incedit: peram à tergo gestat, non quidem lupinis, aut opisthographis refertam, sed elemosynis colligendis paratam, nudis pedibus et detecto capite; sed hanc vilitatem, quam exterius præ se fert, interior quædam alia comitatur, omnibus divitiis, et humanis potentiis anteferenda. Principes quosvis, pauperum suorum causam acturus, intrepide alloquitur, citra tamen iactantiam et fastum. Venit hic Toletum anno superiori, animos incolarum, ut apparet, exploraturus, an in miseros et indigentes, ut Christianos decet, propensi essent: quod cum ita esse intellexisset, nuper ad nos Fernandum quemdam misit, eodem, quo ipse, habitu, eodem studio, et eadem professione. Inter-

ter-

terdiu vicos urbis, et plateas circumit, et vel tacens à quovis eleemosynam extorquet: noctu clamat per eosdem vicos; et veluti gallus matutinis horis ad munia consueta mortales excitat, ita ille post solis occasum, quando in suos quisque penates redit, pauperum curam, et memoriam habendam, indefessa assiduitate singulis noctibus vociferatur. Qua intentione tandem factum est, ut merito in hoc loco Fernandi xenodochium inter cetera recenseatur.

*Index confraternitatum, decem decades complentium.*

Nomen confraternitatis piorum hominum sive collegia, sive sodalitates significat: quæ certis quibusdam legibus consentientes, aliquod munus christianum subeunt, aut Divi cuiuspiam venerationi student, quem ob aliquam peculiarem causam sibi præ ceteris colendum elegerunt: talis nimirum, ut exemplo rem ostendamus, Divi Sebastiani, aut Divi Rochi confraternitas est. Cum enim aliquando pestilentia lues grassaretur, et populi afflicti ad Divos conversi, istorum potissimum præsidia experti essent; beneficii suscepti memores, statis quibusdam diebus eos ipsos celebrare instituunt: pompam publice sollemnem ducunt: cereos manibus incensos gerunt: et demum symbolis ab unoquoque datis communes epulas eis diebus habent, et animos suos lautiori convivio, sobrie tamen et religiose, exhilarant: rationem munerum tractandorum exigunt. Sunt etiam ex iis, quibus epulæ non placent,

sed contenti sollemni pompa, de muneribus solum sollicite disquirunt. Habent singulæ ad id suas parochias, monasteria, xenodochia, sive sacella, ubi suos conventus peragunt, suos quæstores, et præfectos tenent, sua æraria, suos cereos possident.

*Intra Ecclesiam Metropolitanam.*

1. Confraternitas titulo Sanctissimæ Virginis *del Antigua*, vetustate, et antiquitate veneranda.
2. Titulo Sanctissimæ Virginis *de la O*, cuius confratres universi cæci sunt, qui passim per templa vicosque quæstum ex precibus, quas recitant, faciunt.
3. Titulo Sanctissimæ Virginis ab *Stella*.

*In parochia Divi Petri.*

4. Titulo Divi Petri.
5. Titulo Eucharistiæ.
6. Titulo Descensionis Virginæ.

*In parochia Divi Michaelis.*

7. Titulo S. Michaelis.
8. Titulo Eucharistiæ.
9. Titulo SS. Andreae et Catharinae.
10. Titulo S. Antonii.
11. Titulo Sanctissimæ Virginis *de Candelaria*, cuius confratres sartores sunt.
12. Titulo SS. Cosmæ et Damiani.
13. Titulo S. Leocadiæ.
14. Titulo S. Sebastiani.

*In parochia D. Leocadiæ.*

15. Titulo Eucharistiæ.
16. Titulo S. Alphonsi.
17. Titulo SS. Andreae, Ioannis



Baptistæ, et Sebastiani.

*In parochia S. Iusti.*

18. Titulo S. Iusti.
19. Titulo Eucharistiæ.
20. Titulo Animarum Purgatorii.
21. Titulo S. Acacii.

*In parochia S. Romani.*

22. Titulo Eucharistiæ.
23. Titulo S. Annæ.
24. Titulo Sanctissimæ Virginis *del Rosario*: huius confratres telarum sericearum textores sunt: habent ærarium in cœnobio S. Dominici, cui titulus S. Petri Martyris est.

*In parochia S. Martini.*

25. Titulo S. Martini.
26. Titulo Eucharistiæ.
27. Titulo S. Nicolai Tolentini.
28. Titulo Sanctissimæ Virginis, cognomento *de Gracia*.
29. Titulo S. Susannæ.
30. Titulo S. Blasii.
31. Titulo S. Pauli.
32. Titulo S. Ioseph.
33. Titulo S. Bartholomæi.
34. Titulo S. Quiteriæ.

*In parochia S. Eulaliæ.*

35. Titulo S. Eulaliæ.
36. Titulo Eucharistiæ.

*In parochia S. Thomæ.*

37. Titulo Eucharistiæ.
38. Titulo Conceptionis Virgineæ.
39. Titulo Sanctissimæ Virginis, cognomento *Cubilitanæ*.
40. Titulo eiusdem Sanctissimæ Virginis, cognomento *Blanca*.

*In parochia S. Salvatoris.*

41. Titulo Eucharistiæ.

42. Titulo Misericordiæ.

43. Titulo Quintæ angustię.

44. Titulo SS. Blasii et Susannæ.

45. Titulo Conceptionis, cuius confratres carminatores et fulones sunt.

46. Titulo Trinitatis et S. Augustini.

47. Titulo Sanctissimæ Virginis *de la O*, cuius confratres tunsores sunt.

*In parochia S. Cypriani.*

48. Titulo Sanctissimæ Virginis.

49. Titulo Eucharistiæ.

50. Titulo S. Ioannis Evangelistæ.

51. Titulo Animarum quæ in Purgatorio expiantur.

*In parochia D. Bartholomæi.*

52. Titulo Eucharistiæ.

*In parochia S. Antonini.*

53. Titulo Eucharistiæ.

54. Titulo S. Catharinæ.

55. Titulo Matris Dei, cuius ærarium in Sacello eiusdem nominis est, quod in palatio pontificali esse diximus.

*In parochia S. Sebastiani.*

56. Titulo S. Sebastiani.

*In parochia S. Andree.*

57. Titulo Eucharistiæ.

58. Titulo Sanctissimæ Virginis ab Stella.

*In parochia S. Laurentii.*

59. Titulo Eucharistiæ.

60. Titulo Animarum Purgatorii.

61. Titulo S. Ioannis Evangelistæ, cuius confratres serici infectores sunt.

*In*

*In parochia S. Lucae.*

62. Titulo eiusdem Divi Lucae.

*In parochia Divæ Magdalene.*

63. Titulo Eucharistiæ.  
 64. Titulo Incarnationis et S. Rochi.  
 65. Titulo Animarum Purgatorii.  
 66. Titulo S. Barbaræ.  
 67. Titulo Sanguinis Iesu Christi.  
 68. Titulo S. Illefonsi : huius confratres pileorum opifices sunt.  
 69. Titulo SS. Crispini et Crispiniani : huius confratres sutores sunt.  
 70. Titulo S. veræ Crucis.  
 71. Titulo Sanctissimæ Virginis de Consolatione , quam celebraturi baiuli conveniunt.  
 72. Titulo S. Ludovici.

*In parochia S. Nicolai.*

73. Titulo S. Nicolai.  
 74. Titulo Eucharistiæ.  
 75. Titulo Conceptionis.  
 76. Titulo Animarum Purgatorii.  
 77. Titulo Angelorum.  
 78. Titulo S. Fidei : huius confratres monetæ fabri et ministri universi sunt.

*In parochia S. Iustæ.*

79. Titulo Eucharistiæ.  
 80. Titulo Caritatis.  
 81. Titulo Virginis de Succursu.  
 82. Titulo SS. Bartholomæi et Quiteriæ.

*In parochia S. Genesii.*

83. Titulo Eucharistiæ.  
 84. Titulo S. Genesii : huius confratres caligarum sartores sunt.

*In parochia S. Ioannis Baptistæ.*

85. Titulo Eucharistiæ.  
 86. Titulo Sanctissimæ Virginis,

cognomento Nivium.

87. Titulo Sanctissimæ Virginis, cognomento *Blanca*.

*In parochia S. Vincentii.*

88. Titulo Eucharistiæ.

*In parochia S. Iacobi in suburbio.*

89. Titulo Eucharistiæ.  
 90. Titulo Divi Iacobi.  
 91. Titulo Sanctissimæ Virginis ab Stella.  
 92. Titulo Divi Sebastiani.  
 93. Titulo Divi Matthæi.  
 94. Titulo Divæ Annæ.

*In parochia S. Isidori in suburbio.*

95. Titulo Eucharistiæ.  
 96. Titulo Animarum quæ expiantur.  
 97. Titulo Divorum Isidori et Lazari.  
 98. Titulo S. Leonardi.  
 99. Titulo S. Antonii : eius confratres capistrarii sunt.  
 100. Titulo S. Lucie : eius confratres olitores universi sunt : congregantur in Sacello eiusdem Divæ Lucie , quod est in regiis hortis : habent suum ærarium in parochia Divi Iacobi.

101. Potest et his annumerari fraternitas illa , quam vulgo appellant *la santa Hermandad*, eorum quibus curæ est, latrones , publicarumque viarum grassatores fugientes insequi , et in eos capitali iudicio animadvertere.

*De collegio S. Catharinæ.*

Debet inter cetera pietatis monumenta collegium litterarium S. Catharinæ recenseri , opus (ut di-



diximus) Francisci Alvarez à Toledo, Scholastici Toletani. Primum liberales artes, ius pontificium, sacra theologia, eaque ab ipsis collegii primordiis; nunc autem domini Bernardini Alcaraz, Scholastici, opera, græcæ linguæ, et rei medicæ præcepta magno iuventutis profectu docentur. Aluntur in dicto collegio decem capellani, viri moribus et doctrina egregii: ex quibus partim doctores Theologi, partim iuris pontificii sunt: nonnulli in liberalibus doctrinis magisterii gradum meruere: qui quotidie in Sacello, ibidem Divæ Catharinæ dicato, divina mysteria peragunt. Sunt præterea duodecim collegæ, de quibus cap. XVIII superius dictum est. In eodem itidem collegio litterarii omnigenæ facultatis gradus

regio atque pontificio privilegiis honorifice conferuntur. Sed ut ultimam huic operi iam manum adponamus, ceteris supersedere præstat. Tantum te, Princeps Serenissime, obtestor, ut quidquid hoc laboris, aut diligentia est, boni consulere digneris: et si quid in tanta rerum magnitudine et copia prætermissum esse videatur, eam rerum amplissimarum conditionem et naturam esse intelligas, ut nunquam possint pro dignitate, sive describi, sive commendari. Valeat celsitudo tua, quam nobis, et universo Christiano orbi Dominus Iesus diutissime servet: ita enim et religio in dies crescet, et huiusmodi multa pietatis opera vires pristinas et incrementa sument.

EXPLICIT DESCRIPTIO TEMPLI TOLETANI.



# INDEX GEOGRAPHICUS

REGIONUM, URBIUM, ET ALIORUM LOCORUM,  
quorum in novem de rebus Hispaniæ libris fit mentio.

## A

**A**bula, Castellæ veteris urbs ad Adaiam amnem, nunc *Avila*.  
**Accium**, seu **Acci**, regni Granatensis urbs, dicta *Guadix*. It. *Accio*, Galliciæ oppidum Compostellani tractus.  
**Acecha**, in tractu Toletano fuit oppidum: *Aceca*.  
**Achaia**, pars Græciæ magis propè meridiem, ubi Corinthus, nunc *Livadia* dicta, in qua ducatus Clarentiæ.  
**Adrianopolis**, Thraciæ urbs, quæ Turcis *Endrem*, vulgo *Andrinopoli*.  
**Æmia**, Italiæ regio, quæ et *Lombardia*.  
**Æolia**, regio Asiæ minoris, nunc *Sarcum* dicta, pars est *Natoliæ*.  
**Agatha**, Narbonensis Galliciæ civitas: *Agde*.  
**Agennense territorium**. V. **Aginum**.  
**Agger fumorum**, in Rivi sicci tractu provinciæ Pincianæ oppid. *Tordelhumos*.  
**Agger sellarum**, provinciæ Pincianæ, seu *Vallisoletanæ* oppidum: *Tordelillas*.  
**Aginum**, Aquitaniæ urbs in Gallia, Aginnensis tractus caput, nunc *Agén*.  
**Agosin**, seu **Agosmo**, castrum fuit in tractu *Cazorlæ*.  
**Aircorroz**, oppidum Navarræ in valle de *Basaburua*: *Ayzaroz*.  
**Aioroium**, provinciæ Pincianæ oppidum dirutum.  
**Alani**, Sarmatiæ populi in parte occidentali *Moscoviæ* versus *Livoniam*.  
**Alanquellum**, oppidum Portugalliæ, ad *Tagum* flumen, parum ab *Olyssipone* dissitum: *Alanquer*.  
**Alarcuis**, Bæticæ urbs, vulgo *Alarcos*. Item in *Oretanis*, Castellæ novæ tractu, propè *Almagro*, parva civitas, seu castrum valdè munitum, nunc dirutum.  
**Alarco**, Diœcesis *Conchensis* in nova

Castella oppidum: *Alarcon*.  
**Alava**, una ex tribus *Biscagiæ* provinciis.  
**Alaulula**, oppidum *Giennensis* provinciæ penitus dirutum.  
**Alba**, urbs *Galliæ Narbonensis*, nunc *Aps*, *Vivariensis* provinciæ vicus.  
**Alba de Aliste**, in regno *Legionensi* oppidum.  
**Albelda**, vicus *Ruconia*, seu *Rivogia*, in *Castella veteri*: *Albelda* duabus à *Lucronio leucis* distans.  
**Alcantara**, *Beturia* oppidum in confinio *Portugalliæ*.  
**Alcaratium**, Castellæ novæ in *Mancia*, vulgo *Mancha*, oppidum: *Alcaraz*.  
**Alchazar**, *Portugalliæ* pagus in provincia vulgo *Extremadura*, *Alcazar de la Sal* dictus.  
**Alcobatia**, in *Portugallia* oppidum ab ora *Oceani* parum distans: *Alcobaza*.  
**Alcolea sub Talabrica**, ad *Tagum* fluvium: *Alcolea de Tajo*.  
**Alcudia**, non procul à *Calatrava* oppidum dirutum.  
**Alexancum**, Castellæ veteris oppidum in *Rivogia*: *Alesanco*.  
**Alfanum**, Castellæ novæ oppidum forte in tractu *Toletano* non procul à *Maqueda*.  
**Alfondega**, in *Castella nova* provinciæ *Matritensis* oppidum: *Alhóndiga*.  
**Algodor**, fluvius Castellæ novæ in *Mancia*.  
**Alhama**, regni *Granatensis* urbs. It. oppidum in tractu *de Almería*.  
**Almaria**, quæ et *Almeria*, urbs *Bæticæ* in regno *Granatensi*.  
**Almazan**, veteris Castellæ oppidum, sex leucis à *Soria*.  
**Almocharia**, Castellæ novæ oppidum provinciæ *Matritensis*: *Almoguera*.  
**Almodovar**, oppidum Castellæ novæ in *Mancia*, ad montium *Marianorum* radices.

Al-



- Almonecir, vulgo *Almonacid*, oppidum tribus leucis à Toletis distans.
- Alpes, montes sunt editi, qui Italiam separant à Gallia et Germania.
- Alpobrega, provinciæ et tractus Toletani dirutum oppidum: *Alpuebrega*.
- Amanus, Ciliciæ mons notissimus: *el monte de Escanderona*, quæ urbs est ad illius radices sita.
- Amaia, inter Legionem et Burgos ad Ceam versus montana: olim urbs Episcopalis, nunc parvum oppidum.
- Anagarum, Castellæ novæ oppidum in Ruconia, ubi nunc *Trejo*, vulgo *Náxera*.
- Anas, fluvius dictus *Guadiana*, qui in Agro Laminitano, Castellæ novæ tractu, oritur.
- Anceius, Gallæciæ fluvius, nunc *Sarria*.
- Anchialon, urbs Ciliciæ proxima Tarso. It. oppidum Græciæ in Epiro. It. Thraciæ urbs non multum distans à Develto.
- Andegavum, Galliæ urbs, provinciæ Andegavensis caput: *Angers*.
- Andugarum, urbs in Bœtica, sex à Gienno leucis, nunc *Anduxar*.
- Antelia, regni Valentini oppidum in tractu Alcirensi: *Antélla*.
- Aptellum, regni Legionensis oppidum, nunc *Otello* prope Palentiam.
- Apulia, quæ est *Pulla*, una ex quattuor regni Neapolitani partibus.
- Aquilaria, veteris Castellæ in Sorienti provinciæ oppidum: *Aguilera*.
- Aquisgranum, Germaniæ inferioris urbs in Westphaliæ circulo: *Aquisgran*.
- Aquitania, secunda Galliæ provincia, nunc *la Gascuña*.
- Arausium, Galliæ urbs in Provincia: *Orange*.
- Araxes, ingens fluvius Armeniæ maioris, qui in mare Caspium dilabatur.
- Arbolium, in regno Legionensi castrum: *los Arguellos*.
- Arelatum, Provinciæ in Gallia urbs: *Arles*.
- Areola, oppidum fuit in provincia Giennensi.
- Arevalum, oppidum Castellæ veteris ad Adaiam: *Arévalo*.
- Arganale, nunc *Arraganal*, oppidum à Rodericopoli, parum dissitum.
- Ariona, Pœticæ oppidum tribus à Tucci leucis distans: *Arjona*.
- Arlucea, in Alavæ provincia oppidum: *Arlucea*.
- Armenia maior, nunc Turcomania, Asiæ regio perampla.
- Arzorocia, in Alavæ provincia dirutum oppidum.
- Ascalona, Castellæ novæ oppidum, octo leucis à Toletis distans: *Escalona*.
- Aspa, Pysinæ vallis in Bearnia, nunc *Aspe*.
- Asperianum in Biterræ aquis oppidum Galliæ: *Aspres*.
- Assido, Bœticæ urbs, nunc *Xerez de la Frontera*.
- Assyria, regio Asiæ notissima, quæ nunc *Diarbeck*.
- Astigitana, urbs in Bœtica ad Singulim fluvium: *Ecija*.
- Astura, fluvius regni Legionensis, nunc *Tuerto* dictus, Asturicam abluens.
- Asturica, regni Legionensis urbs, vulgo *Astorga*.
- Atentia, in Castella veteri Diœcesis Seguntinæ oppidum: *Atienza*.
- Athavit, Alavæ oppidum quod et Atauri.
- Atlas, mons Africæ satis notus.
- Auca, Burgis finitima urbs penitus excisa: nunc locus *Nuestra Señora de Oca* nominatur.
- Augustodunum, Galliæ in Burgundiæ ducatu urbs: *Autun*.
- Aurelia, quæ vulgo *Oreja*, in Occaniæ tractu, provinciæ Toletanæ oppidum.
- Aurelianum, urbs Galliæ haud ignobilis, provinciæ cognominis caput, nunc *Orleans*.
- Auria, ad Minium fluvium Gallæciæ urbs: *Orense*.
- Auseva, in Asturibus mons non procul ab Oveto.
- Ausona, Catalauniæ urbs, quæ etiam Vicus, nunc *Vique*.
- Ausonia, Italiæ regio, quæ olim à Terracina ad fretum usque Siculum protendebatur.
- Aussa, oppidum Navarræ in valle de Ulzama: *Auza*.
- Aventinus, ex septem Urbis montibus unus, qui hodie *de Santa Sabina* dicitur.
- Axarquia, Cordubensis civitatis extra muros vicus.
- Azebuth, quod nunc *Melgar* provinciæ Toletanæ oppid. in Occaniæ tractu.

## B

- B**  
**Babylon**, urbs Asiæ maxima, ex cuius ruinis crevit *Bagdad*.  
**Badalloeium**, quæ est Pax-Augusta, *Beturie* caput: *Badajoz*.  
**Bætica**, Hispaniæ provincia meridionalis, vulgo *Andalucía*.  
**Bætis**, fluvius in Bætica, qui in saltu oritur Tugiensi, nunc *Guadalquivir*.  
**Baldach**, urbs Mesopotamiæ in provincia Hierach, non procul ab antiqua Babylone: nunc *Bagdad*.  
**Baleares** insulæ in Mediterraneo ad Hispaniam Tarraconensem pertinentes: *Mallorca*, *Menorca*, *é Ibiza*.  
**Balnea**, regni Giennensis in Bætica oppidum: *Baños*. It. provinciae Salmanticensis oppid.  
**Barchino**, Catalauniæ urbs præcipua, olim Faventia, nunc *Barcelona*.  
**Baregia**, quod et Amaia, oppidum ad Ceam versus montana.  
**Barsentum**, prope Consentiam, amnis in Calabria citeriori, nunc *Busento*.  
**Basti**, seu Vasta, urbs regni Granatensis: *Baza*.  
**Bearnensis**, provincia Galliæ in Aquitania: *Bearne*.  
**Beatia**, urbs Bæticæ in regno Granatensi: *Baeza*.  
**Beia**, Lusitaniæ urbs, olim Pax-Iulia, nunc *Beja*.  
**Beiara**, oppidum Beturie, quod *Bejar*. Est item huius nominis vicus in limite regni Valentini.  
**Belgæ** populi, seu Belgium, regio inter Galliam, Germaniam, et Oceanum Germanicum extensa: *los Países Baxos*.  
**Beloaga**, in Guipuzcoæ provincia oppid.  
**Belliforamen**, oppidum Burgensis provinciae: *Villorado*.  
**Beneventum**, regni Legionensis oppidum in tractu Campestri: *Benavente*.  
**Berizum**, antiqui regni Legionensis in Diocesi Asturicensi tractus: *el Bierzo*.  
**Betulo**, oppidum Bæticæ prope Beatiam excisum: est item eiusdem nominis pagus in Catalonia, non procul à Barchinone dissitus, nunc *Badelona*.  
**Betulona**, aliis videtur fuisse Beatia, aliis oppidum dirutum, non multum à Beatia distans.
- Bigorciæ**, comitatus in Gallia Aquitanica: *Bigorre*: vel potius Bigurie in Navarra inferiori, aut Bigurie in Stellæ præfectura.  
**Bilbilis**, Aragoniæ urbs penitus excisa, ubi nunc *Calatayud*, quæ et Bilbilis nova dicitur.  
**Bilche**, ad Navas Tolosæ castrum, nunc *Bilches*.  
**Birueca**, Castellæ novæ oppidum ad fluvium Taiunam: *Brihuega*.  
**Biscagia**, Hispaniæ provincia septentrionalis: *Vizcaya*.  
**Biterra**, Galliæ Narbonensis urbs in Occitania inferiori, nunc *Beziers*.  
**Biturix**, Galliæ urbs, provinciae Bituricensis caput: *Beziers*.  
**Bizantium**, Thraciæ seu Romanæ urbs præcipua: *Constantinopla*.  
**Blaci** populi, seu Blachi, ubi Valachia, et Bulgariæ maior pars.  
**Bletissa**, quæ vulgo *Ledesma*.  
**Boides**, in Asturum provincia vallis. It. oppidulum prope Gegionem.  
**Bolanos**, in regno Legionensi oppidum: *Bolaños*.  
**Boria**, urbs Aragoniæ prope Tyrassonam: *Borja*.  
**Bosphorus**, fluvius, pars est Ponti Euxini in ora Taurici Chersonesi.  
**Brabantia**, Belgii provincia amplissima: *Brabante*.  
**Bracara**, in Lusitania urbs præcipua: *Braga*.  
**Brioca**: Vid. *Birueca*.  
**Britannia**, provincia Galliæ perampla: *Bretaña*.  
**Britoniensis**, urbs Gallæciæ non procul à Mindonio, ubi nunc *Santa María de Bretoña*.  
**Brutium**, Italiæ regio ex præcipuis regni Neapolitani, nunc *Calabria*.  
**Burdegala**, Galliæ Aquitanicæ urbs: *Burdeos*.  
**Burgundiones**, qui ex Germania in Galliam Celticam transmigrarunt, ubi Burgundia: *Borgoñones*.  
**Burriana**, Valentini oppidum in Castellonis tractu.  
**Butracum**, in Castellæ novæ et veteris confinio oppidum ad radices montis Ardoz, vulgo *Buitrago*.

## C

**C**  
**Cabannæ**, tractus Toletani oppidum:

Rrr

Ca-



- Cabañas de la Sagra.*  
 Cacus Mons, qui etiam Caunus dicitur:  
*Moncayo.*  
 Cæsarea, urbs Cappadociæ ad Halym  
 fluvium.  
 Cæsareum, Bæticæ urbs: *Xerez.* It. Ca-  
 strum præfecturæ Burgensis: *Castro-*  
*xeriz.*  
 Caieta, provinciæ *Tierra de labor* dictæ  
 in regno Neapolitano urbs: *Gaeta.*  
 Calabria, ampla est regni Neapolitani  
 provincia versus Siciliam extensa.  
 Calacanzor, seu vulturum altitudo, op-  
 pidum parum ab Oxoma distans:  
 vulgo *Alcatañazor.*  
 Calagurris, urbs Castellæ veteris in li-  
 mine Navarræ: *Calahorra.*  
 Calataiub, urbs Aragoniæ, quæ et nova  
 Bilbilis dicta.  
 Calatrava, olim Oretum dicta, Castellæ  
 novæ oppidum in Mancía.  
 Canaba, Galliæ oppidum in agro Nar-  
 bonensi.  
 Canales, oppidum dirutum in tractu To-  
 letano.  
 Canceres, seu Caceres, tractus cogno-  
 minis in Extremadura caput.  
 Canicæ, in Asturibus vallis. It. oppidum,  
 vulgo *Cangas de Onis.*  
 Cannetum, tractus Conchensis oppidum:  
*Cañete.*  
 Cantabria, provincia Hispaniæ septem-  
 trionalis, ubi Biscaglia.  
 Capella, in Extremadura tractus Tur-  
 gellensis oppidum: *Capilla.*  
 Cappadocia, Asiæ minoris regio, Ponto  
 Euxino versus Boream exposita.  
 Capua, urbs in provincia Terræ Laboris,  
 à veteri Capua parum distans.  
 Caracena, prope *Medinaceli*, veteris Ca-  
 stellæ oppidum in provincia Soriensi.  
 Caracuel, tractus Oretani oppidum in  
 Castella nova.  
 Carmona, Bæticæ urbs, olim satis cul-  
 ta, et probe munita.  
 Carpetania, Hispaniæ provincia, ubi nunc  
 tractus *Alcarria* et *Mancha* dicti,  
 quorum urbs præcipua Toletum.  
 Carpium, Bæticæ oppidum quinque leu-  
 cis à Corduba: *Carpio.* It. regni Le-  
 gionensis castrum, vulgo *el Carpio.*  
 Carrio, regni Legionensis fluvius, qui  
 in Pisoricam ingreditur: *Carrion.*  
 It. eiusdem nominis oppidum.  
 Carrantium, in regno Legionensi oppi-  
 dum: *Carranza.*
- Caseata, prope Cazorlam oppidum: *Que-*  
*sada.*  
 Cauria, in provincia Extremaduræ urbs:  
*Coria.*  
 Castellare-Castrum, Aragoniæ in tractu  
 Turioli: *Castellar.*  
 Castellio, Sintiliæ in Bætica castrum: *Cas-*  
*tellon.* It. oppidi *Medina del Campo*  
 pagus: *Castejon.*  
 Castorla, seu Cazorla, oppidum Bæticæ  
 in Ubetæ tractu.  
 Castrum-Terræ, tractus et provinciæ  
 Legionensis oppido: *Castrotierra.*  
 Castrum Gundisalvi, in Pinciana pro-  
 vincia oppido: *Castro Gonzalo.*  
 Castrum-Xeriz, præfecturæ Burgensis  
 oppidum.  
 Cauca, veteris Castellæ oppidum in pro-  
 vincia Secobiensi: *Coca.*  
 Caucoliberis, ultra Pyrineos oppidum:  
*Colibre.*  
 Caveæ ruberæ ad Aslantiam amnem non  
 procul à Burgis oppidum: *Covarru-*  
*bias.*  
 Cavea Iuliani, Portugalliæ oppidum:  
*Covillana.*  
 Caunus, mons Aragoniæ prope Castellæ  
 veteris confinia: *Moncayo.*  
 Cea, in regno Legionensi oppidum non  
 procul à Sancto Facundo: *Cea.*  
 Celtiberia, Hispaniæ pars septentrionalis,  
 ubi Aragonia.  
 Cilicia, regio Asiæ minoris notissima,  
 vulgo *Caramania.*  
 Cinisaria, Castellæ veteris oppidum in  
 provincia Burgensi: *Canicera.*  
 Cinisarium, castrum in provincia Bur-  
 gensi. It. oppidum in tractu Cam-  
 pestri: *Cisneros.*  
 Cirolis, hodie *Ciruelos*, prope Toletum.  
 Civitas, urbecula Galliæ in Provincia: *la*  
*Ciotat.*  
 Clavigium, Soriensis provinciæ oppidum  
 in Castella veteri: *Clavijo.*  
 Clunia, urbs maritima in Gallæcia. It. Ca-  
 stellæ veteris prope Oxomam oppi-  
 dum: *Coruña.*  
 Cobeca, seu Cobexa, in tractu Toletano  
 oppidum: *Cobeja.*  
 Coianca, quæ nunc *Valencia de D. Juan*,  
 in regno Legionensi oppidum pro-  
 pe Ovetum.  
 Coimbra, Portugalliæ urbs ad Mundam  
 fluvium.  
 Collar, veteris Castellæ oppidum haud  
 ignobile: *Cuellar.*

Colubri castrum, seu *Turnealariz*, in Lusitania.  
 Concha, novæ Castellæ urbs cum sede Episcopali: *Cuenca*.  
 Consentia, in Brutis urbs: *Cosenza*.  
 Consocra, in Mancía Castellæ novæ tractu oppidum, decem à Toletto leucis distans: *Consuegra*.  
 Corinthus, urbs Peloponesi, quæ Turcis *Gereme* dicta.  
 Covellæ, oppidum Gallæciæ in Auriensi provincia: *Covelas*.  
 Covexa, Toletani tractus oppidum non procul à Toletto: *Cobeja*.  
 Cubas, seu Cuebas, in Giennensi provincia oppidum.  
 Cucullutum, in Guadal-faiaræ tractu oppidum: *Cogolludo*.

## D

**D**acia Ripensis, nunc Transilvania, pars Serviaë è regione Moldaviaë.  
 Dacia, Europæ regnum versum Septentrionem, vulgo *Dinamarca*.  
 Daroca, Aragoniæ urbs ad Xilocam fluvium.  
 Decapolis in Gadira, tractus Asiæ minoris, et Ciliciæ Isauriæque pars in Mediterraneis.  
 Dertosa, Catalauniæ urbs Episcopalis: *Tortosa*.  
 Deva, in Biscagia fluvius.  
 Dominarum castrum in Mancía prope Alcaraz: *Dueñas*.  
 Domina, Castellæ veteris oppidum in Pinciano tractu: *Dueñas*.  
 Domini-Sancti ad ripam Cææ fluminis in regno Legionensi, ubi S. Facundi cœnobium.  
 Doniæ castrum prope Pinciam. Vide Domina.  
 Doria, fluvius ex Idubeda in Austrum fluens: *Duero*.  
 Dozium, seu Durium, fluvius. V. Doria.  
 Druentia, in Gallia fluvius Brigantium rigans: *Durenza*.  
 Dumiensis prope Bracaram pagus olim cum Sede Episcopali: *Dumio*.  
 Duo-germani, oppidum fuit in provincia Giennensi.

## E

**E**biza, seu Ibiza, una ex Balearibus insulis in Mediterraneo.

Eciia, seu Ocea, Bæticæ urbs, quæ nunc *Ecija* in provincia Hispalensi.  
 Elepla, Bæticæ civitas ad fluvium *Tinto*, nunc *Niebla*.  
 Emerita, urbs in Extremadura: *Mérida*.  
 Endugarum. V. Andugarum, Bæticæ urbs: *Andujar*.  
 Epirus, Græciæ regio, quæ nunc *Albania*.  
 Estola, fluvius Legionem rigans: *Ezla*.  
 Ezebredus, mons per quem ad Gallæciam ex Berizo fit transitus: *Cabrero*.  
 Eznatoraph, seu Iznatorafe, Bæticæ castrum ultra Syrræum iugum.  
 Eznavexore, castrum ordinis S. Iacobi in Complutensi tractu dictum *Abenyore*.

## F

**F**eriza, castrum in Aragoniæ regno.  
 Ferral, castrum in navis Tolosæ: *Ferral*.  
 Ferrariola, prope Palentiam oppidum: *Herraruela*.  
 Ficus, provinciæ Giennensis oppidum in tractu de Martos: *Higuera*.  
 Fita, Castellæ novæ oppidum quinque leucis à Guadal-faiara: *Hita*.  
 Fiterium, Navarræ in Tutelæ præfectura: *Fitero*.  
 Flavium, seu Flavia, Gallæciæ urbs: nunc *Santiago*.  
 Fons-Juliani, in tractu *de Infantes* Manciciæ oppidum: *Fuenllana*.  
 Fons-Rapitus, Biscagiæ urbs: vulgo *Fuenterrabia* in Guipuzcoæ provincia.  
 Forum-Julii, Æmiliæ urbs, nunc *Friouli*.  
 Fraga, Aragoniæ oppidum in Diœcesi Ilerdensi.  
 Fretum Gaditanum, inter Bæticam et Mauritaniam: *Estrecho de Gibraltar*.  
 Frumentaria, insula Mediterranei, nunc *Fermentera*.

## G

**G**ades, insulæ et urbis nomen inter Bætis ostia et Gaditanum fretum: *Cadiz*.  
 Gallæcia, Hispaniæ septentrionalis provincia: *Galicía*.  
 Garadis ad Sucarim fluvium non procul à Concha dissitum oppidum.



- Gartiez, in regno Giennensi oppidum: vulgo *Garcies*.
- Gazon, inter Ovetum et Gegionem castrum.
- Gegio, oppidum in Asturibus: *Gijon*.
- Gerticos, seu Bamba, in tractu Palentino prope Pinciam.
- Gerundensis, urbs in Catalaunia cum sede Episcopali: *Gerona*.
- Gibel-Zulema, prope Complutum in Castellâ nova: *Cuesta de Zulema*.
- Giennium, urbs in Bætica, regni sui nominis caput: *Jaen*.
- Gomellum, provinciæ Burgensis oppidum in tractu *de Aranda*: *Gumiel*.
- Gordo, regni Legionensis castrum: *Gordon*.
- Gormatum, oppidum provinciæ Sorien-sis: *Gormaz*.
- Gormici, seu Gormatium, in provincia Soriensi oppidum: *Gormaz*.
- Graliare, oppidum in tractu Campestri: *Grajal*.
- Granno, provinciæ Burgensis oppidum in S. Dominici tractu: *Grañon*.
- Guadacelet, rivus in Mancia Castellæ novæ provincia.
- Guadalfaiara, Castellæ novæ urbs: *Guadalfaxara*.
- Guadalfaiar, locus in radice montis *de Muradal*. It. fluvius ibidem.
- Guadararal, fluviolus, seu rivulus in Mancia.
- Guipuscoa, una ex tribus Biscagiæ provinciis: *Guipuzcoa*.
- Guterrius Munio, Arevali pagus in Castellâ veteri: *Gutierre-Muñoz*.
- H**
- Hadrianopolis, Thraciæ urbs: nunc *Andrinopoli*.
- Helenensis, urbs in Gallia Aquitanica: *Elna*.
- Heliph Sintiliæ in Bætica castrum prope Cordubam.
- Helvis, nunc *Yelves*, Portugalliæ oppidum.
- Hellespontus, Asiæ minoris provincia, pars Mysiæ. It. fretum inter minorem Asiam et Thraciam: vulgo *Estrecho de Gualipoli*.
- Heruli, populi ex Scandinavia egressi, qui in Pannonia *de Norico* conserunt, dicti Longobardi.
- Hispalis, Bæticiæ urbs nobilissima: *Sevilla*.
- Hospita, vallis in Pyrinæis, vulgo *puerto de Aspa*.
- Hunni, populi Sarmatiæ Europeæ, qui nomen Hungariæ dederunt.
- I**
- Ianuenses, populi Liguriæ ab Ianua urbe dicti, nunc Genuenses vocantur.
- Ibernia, seu potius Hibernia, insula Europæ, una ex Britannicis in Oceano Britannico: *Irlanda*.
- Iberus, fluvius qui inter Idubedam et Pyrinæos æquo spatio perfluit: *Ebro*.
- Ilerda, Cataloniæ urbs: nunc *Lerida*.
- Ilium, quæ et Troia, urbs Phrygiæ minoris, cuius rudera *Troia* adhuc dicta.
- Inzura, Navarræ oppidum penitus excisum.
- Ionia, Asiæ minoris regio in maris Ægei ora, nunc *Sarchan* dicta.
- Irurita, Navarræ oppidum in valle *de Baztan*.
- Iscar, Secobiensis provinciæ oppidum in tractu cognomine: *Iscar*.
- Ister, fluvius qui prope Taurunum appellari vulgo incipit *Danubio*.
- Iurmenia, Portugalliæ oppidum.
- L**
- Lacuna, citra Pisoricam in tractu Pinciano: *Laguna*.
- Lacra, oppidum quod fuit in regno Giennensi.
- Lalii-villa, Pincianæ provinciæ oppidum in tractu Tordesillas: *Villalar*.
- Lamecum, Lusitaniæ urbs: hodie *Lamego*.
- Lara, oppidum Burgis finitimum, in eiusdem civitatis præfectura.
- Larumbe, Navarræ in tractu Pampilonensi pagus.
- Lavinia, urbs olim Latii in Italia, nunc Campaniæ Romanæ oppidulum: *Citta Lavinia*.
- Ledesma, quod et Bletissa, oppidum regni Legionensis, sex à Salmantica leucis.
- Legio, urbs Hispaniæ clarissima, regni cognominis caput: vulgo *Leon*.
- Lemovicum, urbs Galliæ Aquitanicæ: *Limoges*.
- Lentia, in Dorii ripa non procul ab Atienza: nunc *Langa*.

- Lerma, Castellæ veteris oppidum ad Arlanzam amnem sex ab Auca leucis.
- Lethes, amnis prope Assidonam in Bætica: *Guadalete*.
- Livana, ad ripam Devæ tractus asper et montuosus: *Liébana*.
- Liguria, Italiæ regio: *Ribera de Génova*.
- Lincia, nunc *Puente de Lima* in provincia Portugalliæ Interamnica.
- Lorvanum, Portugalliæ oppidum prope Conimbricam.
- Losæ, transitus in Syrræo iugo: *Puerto de la Losa*.
- Lubricale, Campestris tractus oppidum: *Lobregal*.
- Lucania, regio Italiæ, nunc *Basilicata*.
- Lucena, provinciæ Cordubensis in Bætica urbs.
- Lucos, oppidulum in Asturibus, quod et Lugos.
- Lucronium, Ruconix in veteri Castella urbs: *Logroño*.
- Lucus, Gallæciæ urbs cum sede Episcopali: *Lugo*.
- Lugdunum, Galliæ urbs in limite Bressiæ et Delfinatus: vulgo *Leon de Francia*.
- Luna, castrum in regno Legionensi.
- Lybia, regni Legionensis oppidum non procul à Brihuesca.
- Lybiæ-Castrum, oppidum ultra Pyrinæos: *Castrolibia*.
- M**
- Macedonia, Europæ regio, et pars Græciæ amplissima.
- Madolium, Secobiensis provinciæ oppidum: hodie *Maderuelo*.
- Mæotis palus, sinus, seu potius mare inter Europam et Asiam.
- Magalonensis, urbs Galliæ Narbonensis: *Magalona*: nunc omnino excisa iacet.
- Magan, tractus et provinciæ Toletanæ oppidum.
- Magnantia, castrum Sintiliæ in Bætica prope Cordubam.
- Maiorica, insula Mediterranei inter Ibizam et Minoricam: *Mallorca*.
- Maiorica, provinciæ Legionensis oppidum, decem à Legionem leucis distans: *Mayorga*.
- Maioritum, provinciæ Toletanæ oppidum: nunc totius regni caput: *Madrid*.
- Malachon, Castellæ novæ oppidum in Mancian: *Malagon*.
- Mansella, provinciæ et tractus Pinciani oppidum: *Mansilla*.
- Maqueda, novæ Castellæ oppidum quatuor à Toletum leucis distans.
- Maranio, Navarræ oppidum in valle de *Agnilar*.
- Marchena, oppidum in regno Hispalensi.
- Margeritum, in tractu Toletano pagus: *Marjaliza*.
- Marrochum, urbs Africæ regni Marrochii caput: *Marruecos*.
- Martos, oppidum Giennensis provinciæ.
- Massagetæ, Scythiæ populi, ubi hodie pars Meridionalis Tartariæ desertæ.
- Massilia, Galliæ in Provincia urbs: *Marsella*.
- Matancia, ad Pisoricam in provincia Pinciana: *Matanza*.
- Maura, provinciæ Toletanæ oppidum: *Mora*.
- Media, Asiæ regio ubi nunc pars maior *Serwan* regionis.
- Medinaceli, Castellæ veteris oppidum in provincia Soriensi.
- Medina de rivo sicco, tractus cognominis caput in provincia Pinciana.
- Medinat-Sidonia, Hispalensis provinciæ oppidum: *Medinasidonia*.
- Mentesa, Bæticæ oppidum, ubi nunc *la Guardia* prope Giennium.
- Mestantia, non procul à Calatrava dissitum oppidum: *Mestanza*.
- Minus, Gallæciæ fluvius: *Miño*.
- Minorica, Balearis minor Hispaniæ insula in Mediterraneo: *Menorca*.
- Mintonensis, urbs in Gallæcia cum sede Episcopali: *Mondoñedo*.
- Miraculum, castrum in Mancian: vulgo *Castillo de Almagro*.
- Miranda, Navarræ oppidum in Oliti præfectura.
- Miranda del *Castañar*, decem à Salmantica leucis.
- Mysia, seu Amazonia, regio Asiæ minoris, quæ nunc Natolia.
- Mitilene, urbs Lesbi insulæ in Asia sub dominio Turcarum.
- Moia, decem à Concha leucis dissitum oppidum.
- Molina, in tractu Conchensi oppidum.
- Mondaicus, fluvius in Lusitania: *Montego*.
- Montelio, provinciæ Secobiensis oppidum: nunc *Montejo*.



Montio, oppidum Aragoniæ. It. prope Palentiam oppidum: *Monzon*.  
 Mons-alacer, Palentinæ provinciæ oppidum: *Montealegre*.  
 Mons-angii, nunc *Montanches* in Extremadura, tractus Emeritensis oppid.  
 Mons-sacer, in Portugallia oppidum: *Monsacro*.  
 Mons-regalis, in tractu Salmantino oppidum: *Monreal*.  
 Morus Reginæ, veteris Castellæ oppidum in provincia Pinciana: *Moral de la Reyna*.  
 Mosaicus, Galliæ Aquitanicæ oppidum: *Mosaico*.  
 Muez, Navarræ oppidum.  
 Munio, nunc *Muñon*, prope Lermam castrum.  
 Muratal, inter Cazlonæ montes, et Syrræum iugum angi portus: *Muradal*.  
 Murelum, seu Mutelum, castrum in Gallia Narbonensi: *Murel*.

## N

**N**acorum, civitas Mauritanicæ.  
 Naiara, provinciæ Burgensis, in tractu *de Juarros* oppidum: *Náxera*.  
 Nannetensis, urbs in Gallia, sive Nannetes in Britannia minori ad Ligerrim fluvium: *Nantes*.  
 Narbo, urbs Galliæ in Occitania provinciæ inferiori: *Narbona*.  
 Narceia, fluvius in regno Gallæciæ, atque in Asturibus: *Narcea*.  
 Naron, in Gallæcia oppidum *Betanzos* provinciæ, vel potius Lucensis.  
 Navæ Tolosæ, in provincia Giennensi ultra Syrræum iugum, saltus etiam Castulonensis dictæ.  
 Navarra, Hispaniæ regnum in eius parte septentrionali: *Navarra*.  
 Navarretum, oppidum Ruconicæ in Lucronii tractu: *Navarrete*.  
 Naurantius, mons in Asturibus duobus ab Oveto miliaribus: *Naranzo*.  
 Nemausensis urbs, sive Nemausus, urbs Narbonensis Galliæ in Occitania: *Nimes*.  
 Nubila, provinciæ et tractus Hispanensis oppidum: *Niebla*.

## O

**O**aroma, quæ et Oxoma, Castellæ veteris urbs.

Occania, Castellæ novæ oppidum in provincia Toletana: *Ocaña*.  
 Olalies, oppidulum in Asturibus tribus ab Oveto leucis.  
 Olorum, seu Olitum, in Navarræ finibus urbs: nunc *Olite*.  
 Opta, nunc *Huete*, in Conchensi provinciæ tractus cognominis caput.  
 Orduña, Biscagiæ urbs: *Orduña*.  
 Oreola, urbs quæ nunc *Murcia* regni sui nominis caput.  
 Orgatium, in tractu Toletano oppidum: *Orgaz*.  
 Oronia, in Burgensi provinciæ tractus de Laredo oppidum: *Oreña*.  
 Orzeion, Zamorensis provinciæ oppidum: *Orcijon*.  
 Ove, fluvius in montibus Transmeræ. It. in Asturibus prope Ovetum.  
 Ovetum, in Asturibus civitas cum sede Episcopali: *Oviedo*.  
 Oxoma, in Castella veteri cum sede Episcopali urbs: *Osma*.  
 Ozeya, Bæticæ urbs, quæ Astix dicitur: *Ecija*.

## P

**P**alentia, regni Legionensis urbs, cum sede Episcopali.  
 Palentiola, parum à Palentia distans oppidulum: *Palenzuela*.  
 Palmatum, Sintiliæ in Bætica castrum.  
 Palumbaria, mons prope Abulam in Castella veteri: *Palomera*.  
 Pamariensis, S. Eulaliæ Ecclesia in Asturibus, fuit in valle *de Pramara*.  
 Pandicurvum, præfecturæ Burgensis in tractu *de Bureba* oppidum: *Pancorvo*.  
 Panis-plica, in Castella veteri sex leucis à Burgis distans oppidum: *Pampliega*.  
 Pannonia, quæ nunc Ungaria dicta, ubi Hungariæ inferioris magna pars et Sclavoniæ.  
 Paphlagonia, Asiæ minoris regio, et Galatiæ pars borealis, *Bolli* à recentioribus dicta.  
 Paradinæ, regni Legionensis oppidum: *Paradiñas*.  
 Parthi, Asiæ populi ex Scythia, qui Orientis imperio diu potiti sunt.  
 Patavium, urbs Italiæ, agri Patavini caput: nunc *Padua* dicta.  
 Patricia, Gallæciæ urbs, quæ et Auria: nunc *Orense*.

Pegum, provinciæ Giennensis oppidum: *Priego*.

Penna-fidelis, Castellæ veteris oppidum novem à Pincia leucis: *Peñafiel*.

Persia, pars Asiæ perampla ab Indo ad Tigrim usque extensa.

Petragorica, urbs Galliæ in Petrocoricensi provincia: *Perigueux*.

Petrochium, provinciæ Cordubensis oppidum in Syrræo iugo: *Pedroche*.

Pharus Gallæciæ, in regno Algarviæ urbs cum portu ad oram sinus Gaditani: *Faro*.

Philipopolis, Macedoniæ urbs in Thraciæ confinio: hodie etiam *Felipe* dicta.

Phrygia, regni Asiæ minoris, nunc Sarcum dicta, sub qua Troas comprehenditur.

Pictavium, in Gallia Aquitana urbs: *Poitiers*.

Pilos, Giennensis provinciæ in Ubetæ tractu oppidum.

Pionia, fluvius in Asturibus dictus *Bueña*.

Psidia, inter Galatiam et Phrygiam maiorem Asiæ minoris regio, nunc *Versaelli* dicta.

Placentia, in Extremadura urbs, cum sede Episcopali: *Plasencia*.

Plantaca, seu Plantata, in regno Legionensi oppidum.

Penna, regni Legionensis oppidum: *Peña*.

Pena-lenis, districtus Conchensis oppidum: *Peñalen*.

Pontus, regio parva Europæ, pars Mæsiæ inferioris versus Istri ostia.

Portella, Alavensis provinciæ oppidum: *Portilla*.

Portella de Arenis, Gallæciæ oppidum: *Portilla de Arenas*.

Portu-calensis, urbs Lusitaniæ cum sede Episcopali, nunc *Oporto*.

Portus-molarum, Portugalliæ oppidum.

Pravia, in Asturibus oppidum, sex ab Oveto leucis.

Pulveraria, prope Asturicam oppidum ad ripam Urbici: *Polvoreda*.

Pyrenæi montes qui Galliam ab Hispania dividunt.

## Q

Quintana-fortunii, tractus et præfecturæ Burgensis oppidum: *Quintana Ortuño*.

## R

Ravena, Italiæ urbs in ditione Ecclesiæ, et Romandiolæ caput.

Recopolis, urbs Hispaniæ in Castellana nova à Leovigildo extracta prope Zuritæ castrum.

Regula, Galliæ oppidum in Aquitania, vulgo *Reole*.

Rhegia, seu Rhegium, Calabriae ulterioris caput in regno Neapolitano: *Rijo*.

Rheginus, urbs regni Neapolitani in Principatu citeriori.

Rhodanus, fluvius in limite Helvetiæ.

Rhodus, Asiæ minoris insula in mari Carpatio, nunc *Rodas* dicta.

Ripa-gurcia, seu Ripacurtia, Aragoniæ tractus: *Ribagorza*.

Rivus Oppæ, prope Alcaratium castrum: *Riopar*.

Rivus-siccus, in Castellana veteri in provincia Pinciana oppidum: *Rioseco*.

Rodericopolis, regni Legionensis urbs cum sede Episcopali: *Ciudad-Rodrigo*.

Rodiellæ, dirutum oppidum Toletani tractus: *Rodillas*.

Roda, Castellæ veteris oppidum in tractu Secobiensi: *Roda*.

Roindonia: Vide Ruconia.

Roscida-vallis, Navarræ oppidum: nunc *Ronces-valles*.

Rubonia, seu Ruconia.

Ruconia, veteris Castellæ tractus: vulgo *Rioja*.

Ruthenus, Galliæ Aquitanicæ urbs, in Ruthenensi provincia, nunc *Rodes* dicta.

## S

Sabaria, Hispaniæ tractus penitus ignotus.

Sabucale, prope Badallocium fuit huius nominis oppidum: *Sabugal*.

Sacralia, locus Bæticæ Hispali finitimus: *Sacralias*.

Saldania, in Castellæ veteris tractu campestri oppidum: *Saldaña*.

Salva-leon, in Badallocii tractu oppidum: *Salvaleon*.

Salva-terra, in Alava tribus à Victoria leucis distans oppidum. It. in tractu Badallocii. It. in Bætica ad radices Syrræi iugi.

Sal-



- Salvitas, Agennensis tractus in Gallia oppidum: *Salvitat*.
- Sancta Emerentiana, in provincia Soriensi oppidum.
- Sancta Eulalia, provinciae Toletanæ, parumque à Toleto dissitum oppidum: *S. Olalla*.
- Sancta Euphemia, tractus Oretani oppidum in Mancina.
- Sancta Irenæa, Portugalliæ oppidum: vulgo *Santarén*.
- Sancti Cypriani castrum vulgo *de Magaz* in Rivi sicci tractu.
- Sanctus Facundus, veteris Castellæ oppidum in provincia Legionensi: *Sahagun*.
- Sanctus Iustus, provinciae Pincianæ oppidulum: *Santiuste*.
- Sanctus Pontius de Thomaris, in Gallia Narbonensi cœnobium: *de Tomer*.
- Sanctus Stephanus, provinciae Soriensis oppidum: *San Esteban de Gormaz*.
- Sanctus Torquatus, Castellæ novæ oppidum in tractu Complutensi: *Santorcaz*.
- Sarmalion Sintiliæ in Bætica castrum: *Sarmalon*.
- Sarasacium, Navarræ oppidum in tractu Pampilonensi: *Sarasate*.
- Scalona, quinque à Toleto leucis distans oppidum: *Escalona*.
- Scotia, Europæ regio, quæ in unum cum Anglia regnum iam diu coaluit: *Escocia*.
- Scythia, Asiæ regio in eius parte septentrionali.
- Secobia, Castellæ veteris urbs cum sede Episcopali: *Segovia*.
- Secontia, Castellæ veteris urbs, vulgo *Sigüenza*.
- Secorbica, urbs in regno Valentino: *Segorbe*.
- Secunda, oppidulum fuit prope Cordubam.
- Sede, vel Site-filia, provinciae Cordubensis oppidum: forte *Sedella*.
- Segontia, quæ et Secontia, quam vide.
- Sena, oppidum Portugalliæ.
- Septem-mancæ, in Castella veteri prope Pinciam oppidum: *Simancas*.
- Septem-publica, in Castella veteri provinciae oppidum Secobiensis: *Sepúlveda*.
- Seres, Asiæ populi inter Sinas et Scythiam ad ortum extremi.
- Serra, in Catalaunia Gerundensis præfecturæ oppidum: *Serra*.
- Serpia, in regno Portugalliæ oppidum: *Serpa*.
- Seviot, in regno Giennensi prope Martos oppidum: *Sabiote*.
- Sicambria, Pannoniæ inferioris urbs excisa, cuius rudera prope Budam *Scambri* Hungari appellant.
- Sintilia, seu Sintilla, Bæticiæ tractus prope Cordubam.
- Sintria, nunc Cintra, in Portugallia non procul ab Ulyssipone.
- Soria, Castellæ veteris urbs, haud ignobilis.
- Stella, in Navarra oppidum tractus cognominis caput: *Estella*.
- Stepa, in Bætica oppidum tractus et provinciae Hispalensis: *Estepa*.
- Sublantia, urbs excisa parum distans à Legionem in valle *Sollanzo*.
- Suevia, provincia Germaniæ ampla, cuius urbs præcipua Augusta Vindelicorum.
- Super-arne, tractus haud modicus Aragoniæ: *Sobrarbe*.
- Supporta, oppidum est Navarræ privilegiis addictum: *Soporta*.
- Surcaria, in tractu Conchensi oppidum: *Torquera*.
- Sutrium, Italiæ urbs in Sancti Petri patrimonio, nunc *Sutri*.
- Syria, Asiæ regio, nunc *Suristan* dicta, quæ Syriam propriam et Phœniciam complectitur.

## T

- Tabulata, provinciae Soriensis oppidum, vulgo *Tablada*.
- Talabrica, Castellæ novæ ad Tagum fluvium oppidum: *Talavera de la Reyna*.
- Talamanca, Castellæ novæ oppidum in tractu Complutensi.
- Tanais, Sarmatiæ Europææ, seu Moscoviæ fluvius: *el Don*.
- Taphalia, urbs in regno Navarræ: *Tafalla*.
- Tarecum, in provincia Palentina tractus *del Cerrato* oppidum: *Tariego*.
- Tarifa, Bæticiæ urbs iuxta fretum Herculeum: *Tarifa*.
- Taurus, fluviolus Peloponnensi per Argiam fluens.
- Tegulare, ad Carrionem fluvium, non procul à Burgis: *Tejar*.

Te-

- Teitar, in provincia Extremadura fluvius : *Tietar*.
- Teutones, populi Germaniæ Cimbris contermini, vulgo *Tudescos*.
- Tevinia, in Castella nova prope Briocam fluvius : *Tajuña*.
- Thesalia, Macedoniæ regio, quæ *Ianna* etiam dicitur, subest Turcarum imperio.
- Thracia, Europæ regio, cuius primaria urbs est Constantinopolis.
- Thuringia, provincia Germaniæ in Saxoniam superioris circulo.
- Tiberis, fluvius Italiæ notissimus, qui et Albula dictus, nunc *Tiber*.
- Tila, oppidum Belgii in Gueldriæ ducatu; et in Batavia ad Vahalim fluvium.
- Tingis, Africæ in Mauritania Tingitana urbs : *Tanger*.
- Tolosa, Bæticæ oppidum in Castellæ novæ confinio. It. Galliæ in Occitania urbs. It. in Ipuzcoa provincia ad radices Pyrinæorum oppidum.
- Toraph-Castrum, in provincia Zamorensi : *Castrotorafe*.
- Toya, provinciæ Giennensis oppidum in Ubetæ tractu.
- Transmeræ montes ad Septentrionem montium *de Santillana*.
- Trageda, locus in angi portu *del Muradal*.
- Tremulus, provinciæ Abulensis oppidum : *el Tiemblo*.
- Tuda, Gallæciæ urbs cum sede Episcopali : *Tuy*.
- Tudelia, urbs in Navarra ad Iberum fluvium : *Tudela*.
- Turgellum, in provincia Extremadura urbs : *Truxillo*.
- Turius, prope Legionem fluvius, vulgo *Tera*.
- Turmius, fluvius regnum Legionense rigans : *Tormes*.
- Turolum, Germaniæ comitatus in Belgio Austriaco : *Tirol*.
- Turonia, provincia Galliæ in præfectura Aurelianensi : *Turena*.
- Turonium, in Gallia Turonicæ provinciæ urbs præcipua : *Tours*.
- Turres-novæ, in Portugallia oppidum : *Torres-novas*.
- Turris de Albeg, seu de Alber, fuisse videtur *Castellar* in Bætica non procul à Syrræo iugo.
- Tuscia, Italiæ regio notissima : *la Toscana*.
- Tyrassona, Aragoniæ urbs ad Gallæcum fluvium cum sede Episcopali : *Tarazona*.
- Tyrrhenum mare, pars ampla Mediterranei ad oram Italiæ : *Mar de Toscana*.

## V

- Vadum Regis, in provincia Palentina oppidum : *Vado del Rey*.
- Vaiona, urbs Galliæ in Vasconia : *Bayona*.
- Valeránica, Castellæ veteris oppidum parum ab Oxoma distans : *Berlanga*.
- Vallis-Borgecorexi, vulgo *Burdecores* in provincia Soriensi.
- Vallis-Cæsaris, in Pyrinæis oppidum : *Valle del Cesar*.
- Vallis-Iuncaria, Aragoniæ pagus : *Valdejunquera*.
- Vallis-Iuniperi, in Pinciana provincia tractus *de Simancas* oppidum : *Valdenebro*.
- Vallis-mori, oppidum non procul ab Asturica : *Valde-mora*.
- Vallis-Muzæ, in tractu Salmantino oppidum : *Valdemuza*.
- Vallis Orniæ, quæ et Destriana prope Legionem : *Valle de Ornia*.
- Vallis-posita, Castellæ veteris oppidum prope Burgos : *Valpuesta*.
- Vallis de Tamara, ad Carrionem fluvium prope Fromestam et Carrionem oppidum.
- Vandali, populi Germaniæ inter sinum Codanum, et fluvios Vistulam, et Chalusum extensi.
- Varinatium, quod est *Gormaz*, prope Oxoman.
- Ubeta, Bæticæ urbs in provincia Giennensi. It. provinciæ Toletanæ oppidum : *Ubeda*.
- Uclesium, Castellæ novæ oppidum in Syrræo iugo ad Bedijam amnem : *Ucles*.
- Velagia, in Castella veteri oppidum non procul ab Oxoma.
- Velesium. Vide Uclesium.
- Ventosa, prope Asturicam oppidum : *la Ventosa*.
- Verona, urbs Italiæ in Longobardia ad Athesim fluvium.
- Westphalia, inter Saxoniam et Belgium pars ampla Germaniæ.



Via-anguis, inter Legionem et Asturicam locus : *Fuente de Culebras*.  
 Vicaria, provinciæ Soriensis oppidum : *Viguera*.  
 Victoria, Alavensis provinciæ caput : *Victoria*.  
 Villa-alba de Alcor in Pinciana provincia tractus de Simancas oppidum.  
 Villa-franca, provinciæ Burgensis oppidum.  
 Villa-montini, provinciæ fuit Giennensis oppidum.  
 Villanova de Sarria, Gallæciæ oppidum in provincia Lucensi.  
 Villarepandum, Legionensis provinciæ oppidum : *Villalpando*.  
 Viseum, Portugalliæ urbs cum sede Episcopali : *Viseo*.  
 Ulmetum, in Castella veteri oppidum tractus Pinciani : *Olmedo*.  
 Ulmi, provinciæ et tractus Toletani dirutum oppidum : *Olmos*.  
 Ulysbona, seu Ulissipo, totius Portugal-

liæ caput : *Lisboa*.

Urbicus, non procul ab Asturica in regno Legionensi fluvius : *Orbigo*.  
 Urete, seu Brete, in Asturibus pagus parum à Canicis distans.  
 Urgellum, Catalauniæ urbs cum sede Episcopali : *Urgel*.  
 Vulpecularia, in ripa Carrionis oppidum : *Golpelara*.  
 Vulturaria, ultra Pyrinæos in Aquitania oppidum.

## X

Xodarum, in regno Giennensi oppidum : *Jodar*.

## Z

Zeguitagui, in Guipuzcoæ provincia oppidum.  
 Zurita, tractus Complutensis in nova Castella oppidum.



# ADDENDA ET CORRIGENDA IN TOMO PRIMO.

- P**ag. II. lin. 16. et 18. dele SS.  
 Pag. XIX. lin. 13. *odoptivus*, corrig. *ad-  
optivus*.  
 Pag. XXII. lin. 15. *Cistercensium*, cor-  
 rig. *Cisterciensium*.  
 Pag. XXVI. lin. 9. 1077. lege 1067.  
 lin. 17. *Portionariorum*, lege *Capel-  
lanorum*.  
 Pag. XXVIII. lin. 9. et 28. *Monastica*,  
 corrig. *Monosticha*.  
 Pag. XXX. col. 2. lin. 42. et pag. XXXVI.  
 col. 2. lin. 39. *lectoris*, corrig. *lectori*.  
 Pag. 13. col. 1. lin. 22. *Archiepiscopum*,  
 corrig. *Episcopum*.  
 Col. 2. lin. 10. et 36. et pag. 14.  
 col. 1. lin. 5. in nonnullis exemplari-  
 bus, quibus legitur *Reccesvinthus*,  
 corrigatur *Chindasvinthus*, sicuti  
 iam in ceteris emendavimus.  
 Pag. 15. col. 1. lin. 40. *Adfuit concilii  
Toletanis VII. et VIII. . . . . præsuit  
vero IX. et X.* In Conciliorum co-  
 dicibus hodie extantibus leguntur  
 viginti Episcopi, præside S. Euge-  
 nio, Synodum decimam coegisse;  
 sed secundum exemplaria Escuria-  
 lensia, quorum apographa vidit  
 Antonius Iepesius Benedictinus, An-  
 tistites quinquaginta eam celebra-  
 runt, præside Orontio Emeritensi.  
 Vid. tom. 2. Chronic. Benedictin.  
 fol. 221. et 222. et tom. XIV. Hi-  
 span. Sacr. pag. 22. quapropter cor-  
 rigas velim: *Adfuit conciliis Toleta-  
nis VII. VIII. et X. præsuit vero IX.*  
 sicut in hoc Tom. III. pag. 348. n. 32.  
 in Catalogo Præsulum dictum est.  
 Col. 2. lin. 23. *Itaque ab initio sæ-  
culi XVII. Eugenii nomen in Sancto-  
rum Fastis adscriptum novimus die  
decima tertia Novembris, qua. . . .  
die ab Ecclesia Toletana. . . . recoli-  
tur: corrig. Itaque sæculo nono iam  
constat ex Martyrologio Usuardi,  
Eugenii nomen Sanctorum Fastis ad-  
scriptum die decimatertia Novem-  
bris qua. . . . die ab Ecclesia To-  
letana. . . . recolitur ab initio sæ-  
culi XVII. Vide in prædict. Tom. III.*
- in Catalogo Præsulum num. et pag.  
 nuper citata.  
 Pag. 18. col. 1. lin. 18. post *coluntur*: add.  
*et Iuliani, quæ in camera sancta,  
ut nuncupant, Ovetensi monstrantur.*  
 Pag. 19. lin. 11. *al calcem*, corrig. *ad  
calcem*.  
 Pag. 24. lin. 24. *cor pavor*: add. in marg.  
 ex nostro autographo Azagrensi  
*cor pavet*.  
 Post pag. 27. corrig. 28. 29. pro 36. 37.  
 Pag. 57. lin. 5: *Lectoris*, corrig. *Lectori*.  
 Pag. 64. Versus sub num. XL. qui præ-  
 titulantur *Ad calidam*, ut in codice,  
 prætitulandi forsitan erunt *ad Chin-  
dasvinthum*: nisi Calida proprium  
 sit nomen Rectoris, vel Præsidis  
 provinciæ, seu civitatis, ubi Eu-  
 genius vivebat.  
 Pag. 65. Carmen, cuius est titulus *Con-  
clusio*, collocandum erit post ea  
 omnia, quæ Eugenius composuit  
 annuens voluntati Regis Chindas-  
 vinthi, cui fausta omnia precatur.  
 Ibidem in nota sub num. (4) *exame-  
tro*, corrig. *hexametro*.  
 Pag. 66. lin. penult. *furmure*, corrig. *fur-  
fure*.  
 Pag. 77. lin. 10. *flagiles*, corrig. *fragiles*.  
 Lin. 28. *fabricans*, corrig. *fabricavit*.  
 Lin. 29. *clausit*, corrig. *clausi*.  
 Pag. 80. Nota hic Presbyterum, quem  
 S. Eugenius memorat callide ordi-  
 natum ab Eugenio II. voluntati Re-  
 giæ nimium indulgente, Lucidium  
 videri diaconum, cuius meminit  
 S. Ildephonsus in præfatione ad li-  
 brum de Viris illustribus, pag. 283.  
 Pag. 88. col. 2. lin. 34. *Igini*, corrig. *Hi-  
gini*.  
 Pag. 94. In secundo Tomo pag. 323. po-  
 suimus correctius Elogium B. Ilde-  
 phonsi à S. Iuliano conscriptum;  
 ibique monemus lectorem de omni-  
 bus quæ necessaria iudicavimus.  
 Pag. 96. col. 1. lin. 38. *Cogulla*::: *Scu-  
rialense*, corrig. *Cogolla*::: *Escu-  
rialense*.  
 Pag. 105. lin. 37. *ad*, corrig. *ab*.



- Pag. 120. col. 1. lin. 33. *partes*, corrig. *patres*.
- Pag. 128. col. 2. lin. 24. 25. *peruersu*, corrig. *peruerso*.
- Pag. 152. col. 1. lin. 8. ad marg. adde 4. *Esdr. 8. 21. nam hic sunt verba Quia coram illo &c.*  
Lin. 20. *cognitus*, corrig. *cognitis*.
- Pag. 168. lin. 28. *iterato*, corrig. *iterando*.
- Pag. 169. lin. 7. adde *qui post petit*.
- Pag. 172. col. 2. lin. 11. *habitabit*, corrig. *habitavit*.
- Pag. 173. col. 1. lin. 5. *insidiaveris*, corrig. *insidiaberis*.  
Col. 2. lin. 10. *cruci*, corrig. *cruce*.
- Pag. 178. col. 1. lin. 14. *nulla*, corrig. *nulla*.  
Lin. 22. *adapertitione*, corrig. *adapertione*.  
Lin. 34. *præspicientia*, corrig. *præspicientia*.
- Pag. 181. col. 2. lin. 31. *repugnauimus*, corrig. *repugnabimus*.
- Pag. 187. col. 2. lin. 27. *habitabit*, corrig. *habitavit*.
- Pag. 201. col. 1. lin. 39. *quàm libet*, corrig. *quem libet*.
- Pag. 202. col. 2. lin. 21. *nunc*, corrig. *tunc*.
- Pag. 207. col. 2. in marg. adde *Ex S. Isidoro quæst. in Exod. cap. 18. et S. Paterio lib. 2. super Exod. cap. 22.*
- Pag. 215. col. 1. lin. 34. *quatum*, corrig. *quantum*.
- Pag. 223. col. 1. lin. 1. *et*, corrig. *ut*.
- Pag. 226. col. 1. lin. 20. 21. *effectu*, corrig. *affatu*.
- Pag. 228. col. 2. in marg. 16. corrig. 26.
- Pag. 252. col. 2. lin. ult. *nullius*, corrig. *nullis*.
- Pag. 264. col. 2. lin. 21. *quærentur*, corrig. *queruntur*.
- Pag. 269. col. 2. lin. 13. *rescidendum*, corrig. *rescindendum*.
- Pag. 283. col. 1. lin. 16. 17. *miministris*, corrig. *ministris*.
- Pag. 289. col. 2. lin. 35. *Ilduinus*, corrig. *Hilduinus*.
- Pag. 298. col. 2. lin. 5. *obumbravit*, corrig. *obumbrabit*.
- Pag. 305. col. 1. lin. 40. *Purificatione*, corrig. *Assumptione*.
- Pag. 307. col. 2. lin. 28. *quòd*, corrig. *quod*.
- Pag. 317. lin. 32. *Lectoris*, corrig. *Lectori*.
- Pag. 329. col. 2. lin. 24. *positis*, corrig. *possitis*.  
Lin. ult. *intemperatioris*, corrig. *intemperantioris*.
- Pag. 349. col. 2. lin. 4. *habitabit*, corrig. *habitavit*.
- Pag. 350. col. 2. lin. 7. reiecimur vocem *martyr*: sed melius fuisset reiecisse vocem *mater*, legisseque dumtaxat: *Beata Dei genitrix iure plus quam martyr est*. Ita sensus omnino congruit, qui alioqui nimis aberrat à proposito.
- Pag. 367. col. 2. lin. 2. adde in margine: *Carptim ex sermone adtributo Hieronymo, tom. 4. col. 793. edit. Paris. 1609.*
- Pag. 368. col. 2. lin. 3. adde in marg. *ex eodem sermone col. 792.*
- Pag. 369. col. 1. lin. 6. adde in marg. *ex eodem serm. col. 790.*
- Pag. 370. col. 1. lin. 8. 9. adde in margin. *ex serm. 208. in Append. August. tom. 5. num. 1.*  
Lin. 31. add. in marg. *ex eodem serm. num. 4. et serm. 121. num. 5.*  
Col. 2. lin. 19. add. in marg. *ex serm. 119. num. 5.*  
Lin. 27. add. in marg. *ex serm. 128. num. 2.*
- Pag. 371. col. 2. lin. 27. adde in marg. *Videas eadem in sermone 13. (Ildephon- sino) pag. 389. nostræ editionis.*
- Pag. 373. col. 1. lin. 25. *obumbravit*, corrig. *obumbrabit*.  
Col. 2. lin. 5. *aula*, forte *aura*.  
Lin. 19. add. in marg. *ex eodem serm. (Augustiniano) 208. num. 5.*
- Pag. 374. col. 1. lin. 7. add. in marg. *ex eodem serm. num. 11.*  
Lin. 26. add. in marg. *ibidem n. 5.*  
Lin. 34. add. in marg. *ex sermo- nib. 119. 128. ubi supr. pag. 370.*
- Pag. 375. col. 1. lin. 21. 22. &c. add. in marg. *ex eodem serm. 208. num. 5. et 4. et ex serm. 121. num. 5.*  
Lin. 34. add. in marg. *ex eodem serm. 208. num. 11.*  
Col. 2. lin. 32. add. in marg. *ex eodem serm. et num.*
- Pag. 386. col. 2. ad serm. XIII. adicias pro epigraphe: *Sermo hic ducentesimus quadragesimus quintus est in Append. Augustin. tom. V.*
- Ibidem lin. ult. *candor*, corrig. *calor*, ut ex contextu demonstratur, et in Augustino legitur.
- Pag. 388. col. 2. lin. 22. *replevit*, corrig. *replebit*.
- Pag. 389. col. 1. lin. 33. add. in marg. *Iam di-*

*diximus ad pag. 371. col. 2. eadem hic ac ibidem legi.*

Col. 2. ad serm. XIV. Totus sermo contextus est de ducentesimo vicesimo quinto (al. de Diversis 53.) Augustiniano; itaque minus recte diximus in Monito, inter spurios Augustini sermones reiectum esse ab eius editoribus.

Pag. 398. col. 2. lin. 7. 8. add. in marg. *Verba sunt orationis quæ Angelica nuncupatur, et canitur Sabbato Sancto ad benedictionem Cerei Paschalis.*

Pag. 406. lin. 15. in marg. f. *vellere*, cor-

*rig. vellis; et add. ex serm. 22. B. Petri Chrisologi.*

Pag. 425. col. 1. lin. antepenult. *vigesimo*, corrig. *decimonono*, aut *undevigesimo*.

Pag. 434. col. 1. in not. (4) Diximus codicem nostrum in fine libri *de Corona Virginis* habere, *Arripe eam &c.* Nunc addimus S. Bonaventuram, eodem modo incipere suam Præfationem in Psalterium eiusdem Virginis, ex quo ad oram, ubi posuimus, *provocat nos*, legendum *nos invitatur, ac incitat.*

Pag. 435. lin. 5. XIV. corrig. XIII.

## IN TOMO SECUNDO.

Pag. XX. not. 13. in fine haud recte diximus sententiam Iuliani *pro fide nolle asserere idipsum est, quod negare*, fragmentum esse alicuius operis deperditi; invenitur namque in Epistola ad Regem Ervigium, pag. 90. col. 1. circa finem.

Pag. 109. col. 2. lin. 26. *vigintiuno*, corrig. *vigintiduobus*.

Lin. 27. *decem*, corrig. *duodecim*.

Lin. 37. *Esethehac*, corrig. *Evergetes*.

Lin. 40. *viginti quatuor*, corrig. *septemdecim*.

Lin. 41. *Esethehac* :: *viginti septem*, corrig. *Epiphanes* :: *viginti quatuor*, et adde: *Item alius Evergetes viginti novem*.

Lin. 43. *triginta septem*, corrig. *triginta octo*.

Pag. 110. col. 2. lin. 24. post *viginti et octo*, adde *Otho mensib. 3. dieb. 5. Vitellius. mensib. 8. dieb. 10.*

Pag. 269. col. 2. lin. 4. *Lacedæmoniorum*, corrig. *Babyloniorum*.

Pag. 333. col. 1. lin. 6. *decentis*, corrig. *decedentis*.

## IN TOMO TERTIO.

Pag. 6. col. 1. lin. 18. *Oceano*, corrig. *Oceano*.

Lin. 29. et alibi: *Oceanum*, corrig. *Oceanum*.

Pag. 327. col. 2. lin. 7. *Blicarensis*, corrig. *Biclarensis*, ut in aliquibus exemplaribus habetur.

Pag. 430. col. 1. lin. 24. adde: *é finó en Santo Domingo de la Calzada.*

Pag. 431. col. 1. lin. 15. *por lo qual*, corrig. *por la qual*.

Lin. 19. adde: *fué trasladada aquí Domingo diez dias de Diciembre de mil quatrocientos diez y nueve años.*

Pag. 435. lin. 35. *charus*, corrig. *clarus*.

Lin. 36. *clarus*, corrig. *charus*.

Pag. 444. col. 1. lin. 19. lege: *é fué electo en concordia dos veces para ser Obis-*

*po de Calahorra, de donde era natural :: é finó á dos dias del mes de Abril, era de 1363 años.*

Pag. 445. col. 1. lin. 26. *Muladar*, corrig. *Muradal*.

Pag. 446. lin. 27. post *Vallisoleti* adde: *Gomezus dictus, fraudis dare nescius ictus.*

Pag. 447. col. 1. lin. 30. *Baiorensi*, corrig. *Balneoregiensi*.

Pag. 459. col. 2. lin. 5. *trecientos*, corrig. *quatrocientos*.

Lin. 7. lege *mil quatrocientos é cincuenta y un años.*

Pag. 460. lin. 3. *huic*, corrig. *huius*.

Lin. 15. *ipsis*, corrig. *populis*.

Lin. 21. *gratus, quod*, corrig. *egregia quam*.

## FINIS TOMI TERTII.






















PADRES  
TOLEDANOS

3

F. A.  
077